DE EURIPIDIS MYTHOPOEIA

CAPITA DUO.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA BEROLINENSI
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE XXXI M. DECEMBRIS A. MDCCCLXXXIII
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

MAXIMILIANUS MAYER
MARCHICUS.

ADVERSARII ERUNT:
JOHANNES BOLTE DR. PHIL.
FRIDERICUS SPIRO CAND. PHIL.
BOTHO GRAEF STUD. PHIL.

BEROLINI
TYPIS EXPRESSIT PORMETTER
MDCCCLXXXIII.

Mythopoeiam de qua quaestiones hasce suscepi dixi veterum grammaticorum exemplo fabularum argumenta, materiam praecipue in Euripide quamvis multorum studiis pertractatam, multifariam hucusque inexploratam. Propositum ita institui, ut primo capite (p. 1—59) ad fontes ascenderem in quadam poetae aetate cognitu faciliores, altero capite (p. 59—83) fonte deficiente posteriorum indiciis usus de quinque tragoediis deperditis nova quae se obtulerunt exponerem. In quo etsi mythologicae rationes non ubique, ut consentaneum est, evitari poterant, tamen ea quae longiorem disceptationem exigunt ab hoc loco seclusi.

Caput primum.

Mythologiam Graecam cum antea homines tamquam historiam continuatam vel unius carminis textum narrare consuevissent adducti cum veterum compendiorum exemplo tum maxime poetarum auctoritate Romanorum, hodie paullatim effectum est, ut incredibilis illa varietas pernosceretur, qua eaedem fabulae diversis temporibus, locis, carminibus traderentur. Quae fabularum varietas gravissime saepe inter se discrepantium unde nata sit et satis constat, nec si hodie etiam opus esset longius explicare id hoc loco praestandum esset. Hoc tenendum est, Graecorum civitates, quae plurimae fuere, numquam, quamdiu stabat Graeca libertas, in unum imperium vel modo in pauciora regna ita coaluisse, ut commiscerentur et adaequarentur inter se traditae memoriae, sed maxima ac fere obstinata constantia retinuisse singulas civitates atque etiam singula oppida cum leges suas, quantum licebat, tum traditas religiones et mythos. Ergo versamur hodie in multitudine innumerabili fabularum varie conformatarum, quo in labyrintho paucissimi ab errore

expedire se possunt. Neque tamen in hac turba acquiescendum esse, sed magis magisque disponendam esse molestam illam indigestamque congeriem nemo non videt. Immo cum initio homines tamquam laeti viatores satis haberent, communem obtritamque viam permigrare oblectati regionum amoenitate necopinantes de remotioribus nec minus iucundis locis, deinde in altiora enisi stupendam illam singulorum verticum multitudinem conspicerent, iam res in eo est, ut fabularum genera quaedam scite dignoscantur et lineamentis certis describantur. Cuius disciplinae iam fundamenta quaedam iacta sunt in diesque accrescunt. Id quoque constat, ad hoc opus perficiendum neque O. Mülleri divinationem sufficere neque, quod ad deos pertinet, felicissimum Welckeri sensum, sed ante omnia id agendum esse, ut perquirantur singulorum et poetarum scriptorumque et artificum in fabulis enarrandis et illustrandis fontes et vicissitudines atque restituatur ordo quo illi sese excipiant. Quare quantum ad scriptores pertinet nulli magis meriti sunt, quam qui magnas illas et communes vias compendiorum, mythographorum purgare et levigare coeperunt. Quo in genere, ut proxima afferam, hisce annis bene egit E. Schwartzius [1]) cum monstraret nec satis premi posse putaret, quam cognati inter se ac fere iidem essent libellorum mythologicorum multi qui imperatorum saeclis circumferebantur. Sed non modo mythographorum copiae in simpliciorem et magis adstrictam formam redigendae sunt, sed ad ipsos fontes ascendendum, poetas dico cum tragicos tum quibus illi usi sunt veteriores, quo traditae copiae simpliciores et dilucidiores fiant. Ac ne quid obtritum me dixisse credas, non de Homero neque de epico quem vocant cyclo loquor, ad quem quam accurate se applicuerit Sophocles ipse confessus est. Immo Aeschyli considera poesin. Quantulum relinquitur de Orestiae nobilissimae trilogiae argumento dempto exemplo Stesichoreo?

Agimus hoc capite de Euripide, quo neminem poetarum plus novasse novataque posteris probasse constat. In eo ipso intelligemus quam multa quae apud eum primum exhibentur non modo non invenerit vel primus litteris mandaverit, sed ex certo litterarum fonte hauserit. Ac ne hoc quidem loco de epicis carminibus dico, cuivis Graeco obviis, quae si in Euripide alicubi expressa videntur,

---

[1]) De scholiis Homericis ad historiam fabular. pertinent. Lips. 1881. p. 447. 449.

eadem in Sophocle pleraque deprehenderentur, nisi fortuna nobis illa invidisset. Nimirum Aeoli, Phaedrae, Bellerophontes, Medeae, Chrysippi ante Euripidem in scenam non producti ex peculiari Euripidis arte et ingenio nati sunt. Atque omnino praetermitti oportet in qua plurimum novavit primam poetae aetatem, ubi, ut fit, apertissime indoles hominis erumpit, (quamquam iuvenilis ille ardor qui hominem incitat, ut quae sentiat profiteatur ubi aptum est ubique ineptum, serius in Euripide quam in aliis deferbuit). Neque rursus media illa aetas quae iisdem fere finibus ac bellum Archidamicum continetur, spectandum est, cum illius temporis fabulae in Atticis pleraeque argumentis versentur. Sed de tertia potius aetate agendum erit quae inde ab anno 415 incipit, in qua[2]) poeta philosopha illa et sententiosa ratione, qua et vigebat et laborabat, deposita tandem artis potius quam sapientiae studiosus dramata sua firmioribus scenae legibus adstringenda censebat, praecipue Aeschyli grave exemplum aemulatus. Tum igitur ad vulgarem mythologiam ita aggressus ut non minus octo tragoediarum argumenta Troico cyclo desumeret, quoniam cum Aeschylo certare non poterat, nova praesidia circumspexit; neque enim Euripides is erat, qui in imitando acquiesceret. Atque res ipsa secum ferebat, ut poeta semper nova proferre solitus, cum ad vulgares fabulas descenderet, novos fontes adiret neque plebe contritos; id quod in singulis tragoediis probabimus, et in illis quidem Troicis; quae sunt praeter Alexandrum et Palamedem deperditas: Troades, Electra, Helena, Orestes, Iphigeniae Taurica et Aulidensis. Occurrunt enim in his plurimae fabulae prorsus novae, at quae non oleum sapiant lucubrationis Euripideae, sed certissime originem prae se ferant satis antiquam. Una Helenae fabula quae recentioris originis est, a quo profecta sit auctore disertis testimoniis traditur. Quare ab hac initium facio.

I.

1. Non ipsam Menelai uxorem Troiam abductam esse a Paride, sed simulacrum eius e nebula factum Iunonis instituto, ipsam Helenam in Aegyptum ad Proteum regem a Mercurio delatam esse, quam Menelaus a Troia reversus et in easdem oras naufragio proiectus inveniret domumque reduceret: huius argumenti vulgari opinioni

---

[2]) cf. Wilamowitz. An. Eur. p. 177 sq.

satis contrarii summam ex Stesichoro fluxisse constat. At summam tantummodo; ambigitur de singulis. — Et de Helena quidem sub Protei Aegyptii tutela usque ad belli finem relicta Herodotus, de Menelao illuc appulso iam Homerus in Odyssea narraverat. Sed ex his duobus testimoniis poeta tragoediae suae non poterat conflare argumentum; immo quod proprii habet illius mythopoeia, simulacrum a Troianis abductum et errore *περιμάχητον*[3]) a Stesichoro petendum erat. Sunt qui iam Hesiodum *εἴδωλον* illud protulisse contendant conisi scholio ad Lycophr. 822 vetusto: *πρῶτος Ἡσίοδος* [*περὶ* sive *παρὰ*][4]) *τῆς Ἑλένης τὸ εἴδωλον παρήγαγε*. Verumtamen dudum Markscheffelius (fr. CCLXXV p. 393) pro Hesiodo Stesichori nomen hic reposuit; cui ut assentiamur multa commovent. Ut enim primum scripturae consideremus simititudinem, qua ΠΡѠΤΟϹΗϹΙΟΔΟϹ et ΠΡѠΤΟϹϹΤΗϹΙΧΟΡΟϹ mutationi admodum patent, respice utra utpote facilior lectio minus valeat: dixeris forte *Στησίχορος*, quo nomine simulacri fabula referri soleat; at librariis contrarium accidit plerisque, quippe quibus Hesiodi nomen longe esset usitatius quam Himeraei poetae. Hac ratione quae forsitan nimis propinqua et quasi ante pedes sit, noli supersedere. Porro scholiastam ipsum spectantes ut fidem haberemus huius doctrinae, uno verbo debebat mentionem facere Stesichori, cuius cum nomine et fatis fabula illa proxime cohaerebat, idque eo certius exspectandum fuit, quod Herodotum similia referentem non omisit. Certe fabula ipsa licet nonnullis locis commemoretur, minime adeo communi notitia florebat, ut si iam altius eam persequerentur grammatici, Stesichorum tamquam notam tritamque stationem reticerent, nec potius de Lycophronis (de quo quaerebant cf. scholl. Kinkel.) et si dis placet Euripidis auctore cogitarentur. Quid multa? ipse scholiasta de cuius fide litigamus errat, turpiter errat, cum sic pergit: *καὶ Ἡρόδοτος δὲ εἶπεν, ὅτι ἡ μὲν ἀληθινὴ Ἑλένη ἔμεινεν παρὰ Πρωτεῖ, τὸ δὲ εἴδωλον αὐτῆς συνέπλευσεν Ἀλεξάνδρῳ ἐπὶ τὴν Τροίαν*, ubi aliena Herodoto immiscet. Lycophron profecto illius narrationem cum Euripidea (vel Stesichorea) quae est de simulacro ita coniunctam habet, ut Paris

---

[3]) Plat. Rep. IX 586 C. Bergkius P. L. G. ad Stes. fr. 32 (44) locum citatum nimis praecidit; verba saltem quae praecedunt *καὶ παριμαχήτους εἶναι* addi poterant, ut liberum iudicium esset, quid de *περιμάχητος* voce iterata censendum.

[4]) delevit Bücheler.

a Proteo fallax illud simulacrum accepisse dicatur; tum in commentariis cum recte Herodoti auctoritas, quantum oportebat, notaretur (cf. Tzetz. ad v. 820 coll. ad 112, 113, 142)[5]) scholiasta rem illo quo diximus modo turbavit. Hic igitur non is fuit, qui nominis vitium si forte irrepsisset animadverteret. Accedunt autem causae altiores, cur Hesiodus *εἴδωλον* Helenae non perhibuisse videatur. Nolo urguere, Hesiodo qui verae Helenae fugam narravit (fr. 112 Kinkel.) ipsi, ut de simulacro referret, palinodia opus futurum fuisse; abicio id, quoniam tot diversa sub Hesiodi nomine capita latent. At ne tu quidem fallacibus utare argumentis, velut necessitudine illa inter Hesiodi fabulas et Sterichori intercedente. Licet enim in Iphigeniae, Geryonis, Eriphylae rebus se applicuerit ad Hesiodum (quem quidem alias, ut in Cycno, impugnavit[6]), nostra tamen fabula ita comparata est, ut originem suam a novatore aliquo ductam prae se ferat. Neque cum Aeneae simulacro ab Apolline subiecto (Hom. *E* 449) aut cum Iphigenia in nebulam evanescente componi potest[7]) (nisi quod formam inde mutuari potuerit poeta), cum illi hominum aspectui eripiantur sub deorum tutela constituti nec porro ut Helena illa falsa inter oculos manusque hominum versentur, id quod recentiore artificio excogitatum est atque ab antiqua simplicitate eo magis abhorret, quo longius a tradita et sollemni fabula recedit. Quid, famae quae ubique ferebatur de Stesichoro occaecato et post palinodiam sanato, nonne omne fundamentum subtraheretur, si quis alius, et Hesiodus praecipue, notissimus poeta, iam eadem narrasset; nonne mirum esset superioris auctoritatem a nemine diserte oppositam esse, sed temere fontes fictos esse diversos, velut Plato proprio ductum ingenio, Magnae Graeciae fama Leonymo auctore illum dixit edoctum esse de vera Helenae natura nulli raptui obnoxiae. Una ratio superest, qua cum primo aspectu everti haec disputatio videatur, reapse tamen stabilitur quam maxime. Statuit Fridericus de Duhn in fabula

---

[5]) locos congessit Hoffius, de myth. Hel. Eur. p. 79 sq., sed necessitudines singulorum parum distinxit. Ceterum confusa ista e duabus fabula compendia quoque insedisse videtur cf. Servium ap. Hoff. p. 81, 59 et schol. Aristid. III 150 (ap. Bergk. P. L. G. ad Stes. fr. 32) quo novissimo loco ut tota materia (perverse) Stesichoro tribuitur, ita forsitan in nostro scholio nunc corrupto summa rei ab illo repetita fuerit.

[6]) v. Robert. Philolog. Unters. V p. 189.

[7]) comparavit hanc v. Duhn (de Menelai itinere Aegyptio diss. Bonn. 1874. p. 38) illud iam Servii auctor ad Aen. II 601 p. 307 ed. Thilo.

Homerica quae est de Menelai itinere Aegyptio non terram antiquitus Aegypti nomine intellectam esse, sed Nilum tamquam divinum flumen et fabulosum, in terrarum fine situm, Oceani vicinum, caelestem quandam sedem, quo Helena dea Doriensium opinione pertineret. De qua sententia mox videndum. Nunc gravissimum testimonium, quod Duhnii fugit diligentiam, mei propositi causa exhibeo; schol. Pind. Nem. X 150 (Hesiod. fr. CVII Markscheff. 111 Kink.): *ὁ μέντοι Ἡσίοδος οὔτε Λήδας οὔτε Νεμέσεως δίδωσι τὴν Ἑλένην, ἀλλὰ θυγατέρα Ὠκεανοῦ καὶ Τηθύος*[8]). Hesiodeos igitur in Helenae rebus poetas dignoscimus duos, alterum catalogorum auctorem, qui Tyndarei filiam illam dixit vulgarem fugae fabulam referens (fr. 112 K.), quacum simulacrum illud coniungi nequit; alterum qui eam Oceani filiam dixit; et huic potius conveniret fama illa, quae nulla muliebri levitate, nullius Paridis facinore deam infamari passa simulacrum rapi fingebat, si modo recte se haberet scholium ad Lycophronem adscriptum. At ut una alteri famae respondet, ita coniungi inter se prorsus nequeunt. Aut enim provenit Helena e divina illa origine, sive Oceanum dicis sive Aegyptum sive lucis sedem; aut deportatur illuc, dum nebula raptorem fallit: at ut commisceantur ambae eiusdem rei formae, fieri non potest, nisi laesis legibus quas etiam mythologia habet (antiquiore certe aetate) certissimis. Saepe in genuinis fabulis usu venit (veri memoria paullum obscurata), ut — regione perversa — occultetur aliquis vel profugus eat illuc unde reapse erat oriundus. Absconditur Tityus, quem aliunde e Terra prognatum esse audimus, in terrae visceribus, item Bacchus, phallicus deus, in inguine Jovis; occultat se idem Lycurgum fugiens in mari, quod cultum eius Graecis ex Asia asportavit; confugit Peleus ex Aegina, quo migravere Aeacidae, in Thessaliam; et quae sunt huiusmodi alia plurima Quare Helenae Oceani filiae mentione excluditur quodammodo simulacrum ex poesi Hesiodea[9]).

---

[8]) frustra tradita temptavere Heyne ad Apollod. p. 285 et Welcker. Ep. Cycl. II 132, 62 conisi varia lectione quae est in ed. Roman. pro *Τηθύος*: *Διός*, unde *Ὠκεανίδος κ. Δ.* coniecerunt.

[9]) Duhnii qui veram itineris a Menelao in Aegyptum facti naturam sagaciter patefecit, sententia inde laborat, quod Menelaus recuperare divinam uxorem nescio unde possessam dicitur. At primum id nullo veterum indicio commendatur, immo Duhnius p. 16,1 locis *γ* 301, *δ* 125. 228 perverse, locis *δ* 478. 581 certe audacius usus est. Tum non id profecto voluere fabulae illae populares, ut maritus coniugem nescio quomodo amissam requireret

Sed quoquo modo se habet Lycophronis scholium, recte Bergkius haec iudicavit (Gr. Lit.-Gesch. II p. 293): ‚auch wenn Stesichoros die Vorstellung von dem Schattenbilde der Heroine dem Hesiod verdankt, so mufste doch diese Neuerung, die hier in breiter Schilderung ausgeführt wurde und der alten volksmäfsigen Anschauung, welche als unwahr verworfen ward, schroff entgegentrat, eine ganz andere Wirkung machen als bei dem alten Epiker, wo diese Vorstellung sicherlich nur nebenbei mit wenigen Wortea berührt war.' Quam ad normam imprimis Euripidis tragoedia revocanda est.

Sequitur ut quo tandem loco abscondi veram Helenam lyricus fecerit quaeramus; res satis ambigua, nisi ut assolent teste utimur Euripide, de cuius exemplo quaeri potius oportet. Atque ut Welckeri opinionem praeteream et per se debilem et iam refutatam ab aliis, sunt qui cogitaverint de Leuce insula, Helenae cultu nobilitata, conisi historia notissima quae de Leonymo Crotoniata ferebatur. Et quod ad historiolam istam attinet, Tyndaridum Helenaeque religio in patria poetae tantopere florebat, ut omnino non indigeret ille nuntio, quo de divina Helenae natura edoceretur. Nec mirum a Platone totam rem etiamtunc ignorari, cum fere totum hoc genus ad poetarum artificumque vitam spectans a Peripateticis originem ducere constet. Quodsi Pausanias Crotoniatis ipsis et Himeraeis narrationem illam tribuit, eo parum movemur, si quam multa ille (praeter veras populi narrationes) in libris suis reperta tamquam ex indigenarum ore accepta proferat meminerimus. Id tantum ex narratione illa iure quodam colligat quispiam, Helenam in illius carmine in Leucen, utpote caelestem sedem abreptam esse.

---

assidue; neque enim coniugalis fidei exempla populus animo attento faventique audiebat, rerum potius inauditarum et audacter gestarum cupidus: de plebe homo regiam virginem petat, inferior superiorem, mortalis deam. Id Duhnium fabula ipsa a Gerlando prolata, qua nititur, id nostratium fabellae docere poterant; neque aliter se habebat Argonautarum primaria fabula, ubi non vellus petebatur, cuius mentionem e principi loco (Hes. Theog. 992 sqq.) abesse iam notavere, sed unice mulier illa divina; atque Naupactio quidem carmine vi raptam esse ab Argonautis Medeam diserte tradebatur, quae fama etiam Pind. fr. 172,4 Bergk[4] resonare videtur. — Ceterum Oceanus exceptis flumineis nymphis pater inditur et nationum aboriginibus, nec non summis quibusdam deabus, cuiusmodi sunt Theia Hecatae congrua (Zenob. V 10), Perseïs (Od. *κ*. 139. Cic. nat. deor. III 19, 48) Europa (Schol. Hom. *Π* 223), Peitho (Pherecyd. schol. Eur. Phoen. 1123), Tyche (Paus. IV 30, 3), denique — ut alia omittam — ea quae huc maxime facit Nemesis Rhamnusia (Paus I 33. VII 5, 1 Schol. Rhes. 332).

Sed id nonne per se fere consentaneum est ut in fine carminis vel ,Helenae' vel quam dicunt Palinodiae perhiberetur ab illarum regionum poeta, cum res heroinae pluribus libris persequeretur? Quod quo probabilius videtur, eo minus iam antea, iam viva illuc auferri poterat Helena, certe non sine molesta quadam ac fere inepta iteratione. Atque recte obvertere licet cum Duhnio (p. 41), Menelaum Stesichoro cum simulacro secum domum abducto vitam degisse, vera uxore in Leucen abrepta, unde non reditus erat, parum esse credibile. — Quare alius locus circumspiciendus erat Stesichoro, cuiusmodi in propatulo erat Aegyptus. Et Paridem quidem cum Helena et opibus raptis eo advectum utraque spolia a Proteo rege privari perhibet Herodotus II 112 sqq. hoc uno loco Graecas fabulas non tam attingens quam novis rebus et gravibus augens. Quae res (licet e sacerdotis Aegyptii ore accepta) quin Graecorum auctoritate, quorum commercio Aegyptus dudum florebat, illuc pervulgatae sint ut dubitari nequit, ita certisne e carminibus desumptae vel conflatae sint an ex vetere et genuina populi memoria servatae, ambigi potest. Quo in genere etsi memorabile *Θῶνις* Helenae in primis liberator Aegyptius, a *Θῶν* nomine hospitis Helenae Aegyptii (Od. *δ* 228) non secernendus (cave enim ne cultrum nimis acuas)[10], inde tamen nihil lucramur; graviora illa quae de Menelao referuntur (II 119) qui utpote '*ἀνὴρ ἄδικος*', Helenam cum ex Aegypto repeteret, malacia facta ventos adversos mactatis pueris duobus placasse dicitur; in quibus memoria resonat Atrei, Tantali, Lycaonis rerum persimilis. Sed quoniam de poeta agitur Herodoti aetatem longe antecedente, Homerus ipse adeundus est. Qui non modo de Menelai itinere Aegyptio sed etiam de Helenae Aegyptio hospitio diserte loquitur *δ* 125 et 228, quos gravissimos locos a Duhnio tam breviter et in adnotatione (p. 16, 1) profligari miror. Omnis vero de hac re disputatio titubat labatque quamdiu quod in Iliade simile refertur, negligitur. Quis enim non videt narratiunculam quae exstat Z 289 sqq. de Paride et Helena Sidonem appulsis et inde divitias[11]), multas secum ferentibus plane respon-

---

[10]) secernit Stein.

[11]) Incredibile quantopere quantaque iniuria negligatur Welckeri (Ep. Cycl. II 94) palmaris coniectura *ἔνϑ' ἔσαν οἱ πέπλοι παμποίκιλοι, ἔργα γυναίκων | Σιδονίων* τ ο ὺ ς (vulgo *τὰς*) *αὐτὸς Ἀλέξανδρος ϑεοειδὴς | ἤγαγε κτλ.* quo tota rei conformatione ducimur. Proponit hanc lectionem tamquam incertam suspicionem Nauckius (ad loc.) at nulla Welckeri mentione facta.

dere Aegyptio illi Helenae hospitio? Nam profecto hae regiones adeo non inter se secernendae sunt, ut iam Herodotus hanc ob vicinitatem Iliadis fabulam cum Aegyptia sua congruam atque eandem esse autumet. Juxta ponuntur haecce orae *δ* 83, ubi Menelaus septem per annos multos mari labores et errores perpessus venisse dicitur

Κύπρον Φοινίκην τε καὶ Αἰγυπτίους ἐπαληθείς,
Αἰθίοπάς θ' ἱκόμην καὶ Σιδονίους καὶ Ἐρεμβούς κτλ.

Nec non versus *ε* 282 sq.

τὸν δ' ἐξ Αἰθιόπων ἀνιὼν κρείων ἐνοσίχθων
τηλόθεν ἐκ Σολύμων ὀρέων ἴδεν

obverterem, nisi de Solymorum ipsorum situ aliquatenus ambigeretur. Quid, si rex ipsius Sidonis, quod diversorium ab Iliade refertur, in Odyssea *ο* 115 (cf. *δ* 615)[12]) Menelaum hospitio donisque decorasse perhibetur. Utriusque carminis fabulae tantum abest ut altera fluxerit ex altera, ut se adiuvent potius et comprobent in vicem. Quare qui Iliadis narrationem a poeta inventam esse arbitrantur[13]), aeque falluntur atque Duhnius, qui eam omnino neglexit. — Quid vero sibi velit fama de Helenae in orientis regionibus domicilio, eum minime latet, qui sub eius persona Cypriam deam ipsam occuli cognitum habet. Quod numen eadem ratione ex mari apparuisse dicebatur, qua Bacchum, numen item oriente exorsum, in mari se occultasse fabula ferebat. Duos habemus eiusdem famae rivos alterum ad Cyprum maxime, alterum ad Aegyptum Phoeniciamque spectantem, qui confluxerunt in eo carmine, ubi ipsa e Cypro insula Helena Veneris festum celebrans ab Paride abducitur, Dracontii dico carmine, serius eo quidem condito at 'in quo vetustorum illustriumque poematum quaedam resonat imago'[14]). Aliunde autem haec comperimus schol. Lucan. VIII 458: „existimant ex Aegypto Venerem quae ante *χρυσῆ* cognominabatur, relictis sedibus suis — evasisse in eam partem Cypri, in qua nunc Paphus est". Concluditur circulus Herodoti luculento testimonio, qui eadem Aegypti regione qua de Helena Paridi abrepta referebant, fanum repperit *ξείνης Ἀφροδίτης*, quam pro Helena ipsa accipere auctor non dubitat; cur autem 'peregrina' Venus ista nuncuparetur, quod nomen difficultatem parabat Hero-

---

[12]) v. Kirchhoff. Die Homerische Odyssee 1878 p. 192.
[13]) Welcker. Ep. Cycl. II 94. Niese Entwickelung d. homer. Poesie p. 39.
[14]) verba sunt Bücheleri (Mus. Rhen. 27 p. 477).

doto, facile perspicitur comparatis quae de fani illius situ legimus (cap. 112): *περιοικέουσι δὲ — Φοίνικες Τύριοι, καλέεται δὲ ὁ χῶρος οὗτος ὁ συνάπας Τυρίων στρατόπεδον.* Vide levitatem iudicii eorum qui Helenae Paridisque diversorium Sidonium pro poetae figmento vendiderunt. — Addo, quod constat, deam istam genitalem et obstetriciam Phoeniciam potius (et Cypriam) quam Aegyptiam, in Graecia coaluisse hic illic cum Diana earum rerum antiquissima antistite, unde etiam Phoebo associata est Corinthi et Phaethonti, solariae personae, in vetere fabula Euripidea[15]); quae confusio imprimis perspicua est in Attica, ubi pagi Athmonensis dea nunc Venus, (Paus. I, 14, 6), nunc Diana nuncupatur (ib. 31, 3), ubi Venus Genetyllis Coliade culta canum symbolo Hecatae similitudinem prae se fert (cf. Hesych. s. v.), ubi, quod maxime huc facit, Nemesis Rhamnusia, Oceani filia, Castorum Helenaeque memoriis propinqua, Aethiopibus appictis insignis et Veneris similis est neque a Brauronio Amarysioque magno numine secernenda. Accedunt illius cum Iphigenia necessitudines, et in Attica Boeotiaque ora et in Leuce insula manifestae; porro Chrysae nomen, quo et Diana praecellet in Hellesponti regione et Venus peculiariter vocatur cum Homerica tum, ut Lucani scholium docet, Aegyptiaca; quo cognomine quod Theocritus insolitiore more Helenam exornat (XVIII, 28) in eo carmine, cui Stesichorea nonnulla inspersa esse veteres testantur, ne id quidem parvi penderis. — Haec cur contulerim statim apparebit.

Potuerit Stesichorus si Helenam in Aegypto abscondi faciebat, non tam Homericam fabulam adhibuisse, quam — quod quidem quaerere licet — propriam aliquam et domesticam deprompsisse memoriam. Et profecto huius generis mihi, nisi egregie fallor, sese vestigium obtulit quamvis obliteratum. Jure offenderunt, quod Odysseae poetae cum iam Aegyptum terram, Nilum, Pharum insulam cognita habeant, tamen id quod maxime insigne ea ora habet ac plane singulare, delta septem ostiorum nullo verbo commemorant. Jam legas caput illud haud indoctum de inventione Bucolicorum quod in codicibus compluribus praefixum est Bucolicis Graecis, (Ahrens Vol. II p. 4. Ziegler. Cod. Ambros. scholl. in Theocr. p. 1); cuius posterior pars haec habet: *ἄλλοι δὲ ἐν Τυνδαρίδι Σικελίας πρῶτον ἀχθῆναι* (*ᾀσθῆναι* ci. Schaefer) *λέγουσι τὰ βουκολικά.*

---

[15]) v. Wilamowitzii praeclaram commentationem Herm. XVIII. p. 396 sqq.

Ορέστῃ γὰρ ἐκκομίζοντι τὸ τῆς Ἀρτέμιδος ξόανον ἐκ Ταύρων τῆς Σκυθίας χρησμὸς ἐξέπεσεν, ἐν ἑπτὰ ποταμοῖς ἐκ μιᾶς πηγῆς ῥέουσιν ἀπολούσασθαι· ὁ δὲ πορευθεὶς εἰς Ῥήγιον τῆς Ἰταλίας τὸ ἄγος ἀπενίψατο ἐν τοῖς λεγομένοις διαφόροις (sic Vaticc. duo, *διαχώροις* Ambr.) *ποταμοῖς, ἔπειτα εἰς Τυνδαρίδα τῆς Σικελίας διῆλθεν· οἱ δὲ ἐπιχώριοι τὴν θεὸν ἰδίοις ποιήμασι καθυμνήσαντες κτλ.* Ubi loci descriptio ab oraculo data neque ad Rhegium satis quadrat neque ad aliam ullam mundi antiqui regionem excepto Aegypto. In eandem viam unice iustam Tyndaridis nomine ducimur. Quamquam oppidum ipsum seriore tempore, quarto ante Chr. saeculo conditum est, tamen cum nomen cultusque Tyndaridis (unde oppidum nuncupatum est) in ea regione et praecipue apud Locrenses oppidi conditores (Diod. XIV 78) antiquitus florebat, tum quo iunius oppidum erat absque fabulosa antiquitate alienius, eo minus antiqui ritus originem inde repetierint, nisi qua certa ansa se praebente. Eam in Tyndaridis nomine fuisse suspicor. Quam sententiam priusquam inter hariolationes releges, duas quaeso res tecum reputes ad Orestem istum et Dianam Tauricam spectantes. Primum innumeris locis accidit, ut cum unum modo nomen in religione fabulave ferretur, posteriorum incuria immisceretur cognata aliqua persona vel fabula, at alienissima ab eius loci peculiari natura; ita ut in mythis explorandis nihil habere antiquius debeamus, quam ut primarium nomen enucleando constituamus, cetera abiciamus. Item — quod etiam ad Ariciam pertinet — Orestis mentio nihil huc facit, immo subest unice Dianae ille vetustus cultus, sive Tauricam nuncupas, sive Tauropolum, sive Phacelitim, sive, cuius ex templo Helenam Theseus rapuit (Plut. Thes. 31), Orthiam. Deinde necessitudines Dianae et Veneris supra allatae quam late pateant respicias. Quid si etiam lavacrum illud in Tyndaridis fabula commemoratum in Helenae fabulis tibi ostendam idque eo loco, cuius antiquitas singularem in modum cum Aegypti nomine in fabulis connexa est. Namque in Rhodo insula quae fuit Helenae fama et religio (Paus. III 19, 10) cum ipsa Therapnaea certabat; illic Polyxo quaedam inimica illi hoc modo insidias struxisse fertur (*ὡς ἔλαβεν αὐτὴν ὑποχείριον*) *ἐπιπέμψαι οἱ λουμένῃ θεραπαίνας Ἐρινύσιν εἰκασμένας·* ita capiunt illam, captam strangulant. At ut multae unam superarent non opus erat illa occasione; immo fabulis tradebatur lavacrum deae. Item in Furiarum ista similitudine per se futili et ad consilium

illud perpetrandum inutili veterem aliquam memoriam latere nemo harum rerum peritus non videt; ei maxime qui Furiae personam principio e Diana fluxisse compertum habet, quo demonstrando te morari nunc nolo, dubium non fuerit, quin rabida illa dea hic Helenae opposita sit. His omnibus bene perpensis iam, puto, Aegyptiae Veneris Helenaeve memoriam quamvis obliteratam detortamque in Magnae Graeciae fabula illa inesse concedes. Inde Stesichorus compluribus saeculis ante utpote e fonte tunc nondum obruto poterat haurire.

Ad Euripidis tragoediam revertentibus nobis num ut summa rei ita singula quoque lyrico illi debeantur poetae, videndum est. Num Junone iubente et Mercurio duce Helenam abripi iam ille finxit? Duhnius praeeunte Usenero[16]) in Mercurii partibus multum posuit momenti (nullis quidem argumentis conisus) atque ne Paridi ipsi quidem, vetustae et primariae in Helenae fabula personae, opponere illum dubitavit. At errat vir doctus uterque, id quod, ubi quis sit vere Paris perspexeris, libenter concedes (v. p.   ). Ut potius Mercurii persona huius modi negotiis inter deos inservientis in fabula ipsa parvi momenti est, quare nulla causa fuerit Euripidi a Stesichoro recedendi, ita Junonis consilium tam graviter totque locis notatur a poeta, ut vel ideo Stesichoro tribuendum sit (vv. 31 sqq. 242. 238. 880. 1005. 1025. 1094 sqq.): Invidisse Paridi dicitur Veneris praemium dea in iudicio victa (v. 31.). Et cur non Minervam potius induxerit, quaerere paene otiosum est respicienti quid intersit inter utriusque deae ingenium. Nec non Ixionis fabula, ubi Juno ipsa (ut nunc Helena) nube amplexus amatoris fefellit, praesto erat. Has ad Junonis partes et laudati versus pertinent et qui sunt in Oreste, tragoedia paucis post Helenam annis acta, v. 1683, — Apollinis verba sunt —:

Ἑλένην Δίοις μελάθροις πελάσω
λαμπρῶν ἄστρων πόλον ἐξανύσας,
ἔνθα παρ' Ἥρᾳ τῇ θ' Ἡρακλέους
Ἥβῃ πάρεδρος θεὸς ἀνθρώποις
ἔσται κτλ.

in quibus Junonis mentio, cum potius Venus ceteroquin Helenae favere et cum ea connecti soleat, parum consentanea est, nisi ad istam correctam Helenam referas a Venere secretam et sub numinis Troiae maxime infesti tutela constitutam. Jovis autem auctoritas

[16]) Mus. Rhen. XIII, 356.

bellum inter Europam Asiamque molientis e Cypriis carminibus (quorum initium paene ad verbum expressit Euripides in Helena v. 38—41) etiam in novatam fabulam transfertur; notatur in Helenae prologo[17]) et iam in prioris anni tragoedia, Electra, ubi sub finem poeta totum sequentis dramatis argumentum breviter indicat (v. 1282). Minime pugnat Jovis ista auctoritas cum Junonis; ille bellum excitavit quo totus orbis (ut putabant) concuteretur, haec Paridi invidens pro Helena simulacrum subiecit[18]); quod quidem in brevius poeta ita contraxit in Electra, ut diceret:

Ζεὺς δ' ὡς ἔρις γένοιτο καὶ φόνος βροτῶν,
εἴδωλον Ἑλένης ἐξέπεμψ' εἰς Ἴλιον,

quibus falleremur, nisi in Helena disertius edoceremur.

Incertior res est in ceteris dramatis nominibus. Dixeris si in remotam regionem (Aegyptum ut probabile) deferri Helenam fecerat Stesichorus, tutelae alicui vel hospitio in barbara terra mandari illam oportuisse. Asseverare tamen de Proteo rege nihil ausim; certe Euripides suum poterat etiam ab Herodoto mutuari. Quod ad Idotheam attinet, Homericam personam, ut *Εἰδώ* diminutivam formam non primus induxit utpote iam in Aeschyli Proteo (fr. 208) obviam, ita alterum nomen *Θεονόη*[19]) debuerit alicui necesse est. Quodsi Phinei[20]) quoque socia Idothea vocatur (Sophocl. fr. 582) quae filia dicitur Cadmi, stabilitur inde sententia nostra de Phoenicia in hisce fabulis ab Aegypto non dirimenda. — Addidit Euripides, id quod postulabat argumentum propositum, novam fabulae personam. Finxit mortuum esse Proteum, clementissimum regem, Theoclymenum filium patris plane absimilem instare minitabundum Helenae conubium appetentem, ita ut profugam heroinam ab illius vexationibus sepulcro Protei utpote loco sacro insedentem videamus. Quod novissimum quomodo in mentem poetae venerit forsitan asequi possimus: docuit enim una cum Helena Andromedam, mythum olim in Dictys tragoetia ab ipso tractatum vel certe commemoratum, qua in tragoedia Danaam

---

[17]) v. 36 *τὰ δ' αὖ Διὸς*
βουλεύματ' ἄλλα κτλ.

[18]) subtilius rem explicavit Usener. l. c. p. 356, 122.

[19]) De quo Robertus me haec docuit: „*χρηστήριον ὄνομα* ut ipse poeta v. 822 explicat (cf. v. 13. Plat. Cratyl. 407 B); ex Euripide nomen sumpsit poeta Alexandrinus, quem sequitur Conon 8. Calchantis soror Theonoe apud Hyginum fab. 190 cf. 266.“

[20]) De cuius cum Proteo similitudine v. Duhn. d. Menel. itin. p. 18 sq. 33 sq. et Heidelberg. Festschrift zur 36. Philol. Vers. 1882. p. 122.

in simillima condicione ante oculos posuerat qua nunc posuit Helenam. Theoclymenum autem unde sumpserit, incertum. Certe huius nomen inter Protei filios immanes et ut Euripideus ille (v. 480) ξενοκτόνους (Lycophr. 125 Eust. in Dionys. Prieg. 259) non legitur[21]. Quare monuerunt de Theoclymeno vate Argivo (Od. ο 182), etsi Euripides Protei naturam praesagientem non Theoclymeno suo, sed sorori tantummodo indidit, quo discrimine lepide utitur. Vocatur hoc nomine qui ceteroquin Periclymenus audit heros Thebanus, in Sophocleae Antigonae hypothesi altera; quod quidem a Roberto[21a]) mero librariorum errori tribuitur. At mire accidit, quod uterque patrem habet deum marinum, et quod, qui tertius huc facit, Pylius ille Periclymenus, ab Euphorione fr. 77 M. cum Proteo comparatus, sicut ille facultate praeditus est in quamlibet formam se commutandi. —

Ad fabulam Helenae mire novatam a Stesichoro nec ipse Euripides ceteroquin nec posteriores respexerunt. Immo nemo aut post aut antea plura in heroinam convicia congessit quam Euripides[22]). Et Helenae quidem pulchritudinem in epicis carminibus effulgere videmus nullis contumeliis deformatam; in Paride omnis noxa ponitur; et quod Helena se abduci patiebatur, Iovis id consilio atque — si Graecos audimus — beneficio factum est. Sic se res habet in Iliade et Odyssea, in Cypriis, nec Aethiopidis aut Iliadis parvae auctores, sicut applicare se ad Homerum videntur, ausi fuerint cum Homeri auctoritate in gravissima persona iudicanda pugnare. Atque etiamsi episodium illud Iliupersidis de Menelao cum stricto gladio in uxorem repertam instante iam in Iliade parva locum habuerit (v. Robert. Bild u. Lied p. 77), etiamtum ira Menelai a coniuge decepti et derelicti per se nonnihil consentanei haberet multumque abesset ab eo quod Stesichorus narrabat: universum Graecorum exercitum de Helena supplicium sumere voluisse. Haec ergo innocua apud epicos Helenae indoles. Aliquanto diversum ab ea mente Aeschylum invenimus. Quamquam apud hunc quoque Paridis culpa adeo praevalet, ut teneri poetam vehementer illorum exemplis obstrictum appareat. Postquam questus est chorus Suadae[23]) importunam vim, qua Paris Helenae voluntatem vicerit (Ag. 369), Paris ipse incusatur, qui hospitii sanctitatem violarit (388), et pro exemplo proponitur eorum

---

21) Apollod. II 59, 14. Lycophr. l. c. cum scholl.

21a) Philol. Unters. V (Bild und Lied) p. 21 adnot. 19.

22) quorum florilegium dedit Lehrs. Popul. Aufs. p. 24.

23) Πειθώ etiam in Hieronis vasculo adest raptum Helenae adiuvans

qui iusto et inevitabili Iovis consilio interiere (348 sqq.), quam sententiam ad universam Troiam tamquam auctorem tanti flagitii referens plus uno cantico poeta attingit (Ag. 675. Cho. 928); denique v. 733 sqq. ad Paridem revertitur, cuius improbitatem divitum luxuriae lasciviaeque crimini dandum esse censet. Ac ne opum quidem a Paride raptarum mentionem Aeschylus omittit, quam eleganti personarum distinctione usus praeconi, de plebe homini, attribuit (512), item ceterum de Paride, nihil de Helena loquenti. Paullo lenius Helenae factum attingitur. Queruntur eius quidem infelicem fugam (390) et multum in nomine luditur tamquam mali ominis pleno, sed ita quoque quasi daemon potius[23a]) fatalis utrique populo describitur, quam ut ipsius levitas improbitasque perstringatur, quamquam in fine regis recenti morte permotus in contumeliam erumpit chorus: *ἰώ, ἰώ, παράνους Ἑλένα*, quo etiam pertinet v. 62 *πολυάνορος ἀμφὶ γυναικός* (cf. 763) atque 395 *στίβοι φιλάνορες*. Quam libertatem iudicii de Helena lati sponte sua Aeschylus numquam assecutus esset; ductus esse videtur Stesichorea poesi, quam in Orestia trilogia adhibuit. Cum enim epici poetae in plurimis rebus Troiae gestis et in belli vicibus versarentur, Stesichorus primus in Helenae persona et fabulis enarrandis plus posuit diligentiae et ingenii. Hesiodus tantum obiter et fere uno verbo infamiam Tyndaridum (fr. 112 Kink.) commemorasse videtur. Haud igitur mirum si quamvis modice Stesichorus sententiam suam persequeretur, — de quo non satis constat —, mox tamen clamores erumpebant in poetam tantum nefas admittentem. Nam quod item cogitari possit, homines posteriores solo palinodiae aspectu insolitioris carminis adductos fabulam ad Thamyrae, Demodoci, Homeri exempla finxisse de illius occaecatione, id eo minus verisimile est, si reputas, sexto saeculo, cum carminum auctoritas nondum religiones superasset cumque etiam tot heroum divini honores florerent, quam facile hominum et maxime fortasse sacerdotum stomachi moveri potuerint, quod periculum ne religiosissimus quidem poeta, Pindarus, evitavit. Pindari enim exemplum profecto conferendum est cum Stesichoro, sed non tam illa a Lehrsio[24]) prolata (Ol. IX 35. I 29), (ubi offensa quaedam impiarum fabularum notatur, nulla tamen recantatio est), quam potius quod fugit viros doctos illud de Neoptolemi, quem cum verbis indecoris perstrinxisse

---

[23a]) *νυμφόκλαυτος Ἐρινύς.* cf. Eur. Or. 1389.

[24]) Popul. Aufs. p. 28.

videretur Aeginetis — narraverat enim Pindarus rixam Delphicam de carnibus obortam —, data occasione poeta non is palinodiam quidem condidit, nam certam et traditam memoriam evertere religiose verebatur, sed et verbis refutat illam criminationem vv. 102—105 et factis, cum Neoptolemum laudibus efferat vv. 31—54 item inspersa sua defensione vv. 48. 49. Ceterum quae de ea re traduntur, inde mihi laborare videntur, quod totam criminationem Aeginetis tribuunt; nam si sacerdotes Delphicos recte novi, ab iis potius (quamvis occultis fortasse auctoribus) rumores illi profecti sunt. His ipsis ni fallor permotus Pindarus sacerdotem Delphicum Neoptolemi interfectorem non iam nominat — *Μαχαιρεὺς* audiebat (Pherecyd. Schol. Eur. Or. 1654) — sed universe verbis quae sunt *ἀνὴρ μαχαίρᾳ* significat; atque si de Neoptolemi tantum fama etiam Aeginetis cara agebatur, cur eius mortem non Aeginetas, Molossos, totam Graeciam, sed Delphos questos esse dicit?

Sic fere Stesichori exemplum, si modo scripsit palinodiam ab ‚Helena' secretam, explicandum esse arbitror. Atque perfecto etiam dempta Helenae exemplo si quam libero iudicio Stesichorus traditas fabulas commutet videmus, id eum fecisse nullo aequalium improbante vel impugnante adeo non credilile est, ut, puto, nisi traderetur nota historia illa, quaereret hodie nonnemo, quo tandem animo illius aetatis homines tam inaudita acceperint.

Aeschylo mirum quantum similior Stesichori natura fuit Euripides, cuius maxime auctoritati attribuendum est iudicium quod posterioribus temporibus de Helenae moribus ferebatur; et hactenus recte Lehrsius iudicium illud ad tragoedias rettulit. Sed in Euripide difficilius dignoscitur quae et qualia opprobria Stesichoro debeantur, quod in hoc genere Euripides ipse auctorem longe superabat. Tamen ex conviciis plurimis in illam congestis commemoratione haud scio an dignum sit, non solum Iphigeniae mortem, quod consentaneum est, Helenae crimini dari (El. 1027. Iph. T. 8. 356. 566.) sed etiam, quod non tam in propatulo erat, Achillis praeclarissimi viri obitum: Andr. 248. Hec. 265. El. 479. Adeo opprobria cumulat, ut Ledam matrem et Castores fratres pudore illius nequitiae superatos mortem sibi conscivisse, illam laqueo hos gladio (Hel. 135. 142), enarret; inventum Stesichoro prorsus indignum. Exhibet haec opprobria in Helena, quod consilium cum summa argumenti valde diserepantis lepide conflavit. Proxime ad Stesichorum (fr. 26, 5) accedit in Or. 1306: *τὰν λιποπάτορα λιπόγαμόν θ'*, sicut omnino

ut ad Tyndareum plerumque neglectum respiceret et filias eius improbitate insignes diceret Or. 249. 541. 750, Stesichori potius quam Hesiodi auctoritate adductus esse videtur. His fere omnibus ad extremam poetae aetatem pertinentibus inspersi locum Andromachae etsi tum, decem fere annis ante, etsi alia ille indicia nulla praebet lectionis Stesichoreae. Utique accuratius hunc non dico legit sed adhibuit non ante 413, vel potius ut demonstabimus 415. Et de Helena quidam (acta 412) satis constat. Cuius argumentum ut supra dictum est indicavit iam in Electra, prioris anni tragoedia, vv. 1278 sqq. Et iam hic monstro fabulam de Oreste in Arcadiam migrante eodem loco El. 1273 narratam idque nulla dum modo deformatam qualem in Oreste serius docta inveniemus. Nec potest fugere quemquam in verbis 482: τοιγάρ σέ ποτ' οὐρανίδαι πέμψουσιν θανάτοις (de Helena dictis), tamquam mors sit rarior poena nec communis sors, iam immortalem Helenae naturam poetae animo obversari, quam in proxima tragoedia ante oculos spectatorum positurus erat. Atque si 1063 Helenam et sororem Castore indignas dicit, quam comparationem in Helena 720 recolit, id quidem sponte se obtulerit. Verum causam cur unum Castorem dicat Electra — nam ea loquitur —, non assequor, nisi forte quod is s p o n s u s ei, itaque propinquior erat (311); quam fabulam hic modo obviam ob causas quasdam mythologicas valde memorabilem duco.

Iam ex eo carmine quod in usum suum vertit Euripides fieri non potuisse quin praeter illud argumentum aliarum quoque fabularum flosculi irreperent, quemadmodem accidit poetae vel invito, ubi tam nobile exemplum ante oculos est, id simplicissima ratio persuadet. Neque spes nos fefellit.

2. Atque ut a certissimus initium sumamus, conferendus est prologus Iphigeniae Aulidensis conditae in extrema poetae aetate. Dicitur illic Tyndareus cum ob multitudinem et potentiam procorum vereretur ne uno praelato ceteros laederet, ad dolum confugiens omnes iureiurando obstrinxisse, eius, cui daretur Helena in matrimonium, honorem se contra iniurias armis esse defensuros, tum dato filiae libero iudicio Menelao quem illa elegit Helenam dedisse. Hanc fabulam (a Thucydide I, 9 obiter commemoratam) omnino Stesichoro deberi testimonio constat scholiastae Homerici B 339, quod fragmentum nunc tandem Bergkius in Helenam carmen recte posuit. Iam Hesiodus de Helenae procis multus fuisse videtur (fr.

CIX. CX Marksch. 113. 114 Kink.); neque dubitandum, quin inde pleraque procorum nomina fluxerint, quae Apollodorus III 10, 8 — nam Hygini caput 81 nimis corruptum est — exhibet. Tamen (ut Robertus monet) qui quaereret, quo tandem officio coacti totius Graeciae duces ob unius uxorem bellum suscipere dignarentur, is fuit Stesichorus. Respice quam prope id cum novato de Helena iudicio cohaereat: cum enim antea non uxor modo sed opes quoque Menelai a Paride raptae animos occupassent et de iniuria a Troianis Graeciae illata et omni modo vindicanda summoque iure vindicato nemo dubitasset, talis sententia qualis illa est de procorum iureiurando nullius in mentem venire poterat. Stesichoro autem, qui maxime muliebre Helenae facinus perstringebat, parum credibile esse poterat, ob unam eamque improbam mulierem et tantum bellum et tot virorum interitum parari. — In procis Helenae Euripides etiam Achillem habet Hel. 98. Quod si contra Hesiodum (Paus. III 24, 7) quocum consentit Apollodorus, tam diserte proloquitur Euripides, dubitari nequit, quin in Stesichoro legerit; etenim praeter Euripidem qui id referat, habeo nullum. Comprobatur id domestica Lacedaemoniorum memoria (Paus. l. c.), cui nullius poesis propinquior fuit quam Stesichori. Possis suspicari — quod quidem incertum —, Achillem et Helenam interiore aliquo vinculo contineri (cf. Philostr. Her. p. 327), quam creditur plerumque[25]), et Euripidem qui par illud nobile peculiari cantico El. 432—486 canit veteriorem fabulam recolere; quae iam paullum evanuerat in ea regione ubi Stasinus Cypria sua carmina condidit, quippe qui modo visendi causa Achillem aspectum Helenae cupientem conduci cum illa fecisset.

Unam discrepantiam fontium adnoto; non dico procorum nomina quae sunt duo et triginta apud Apollodorum, quorum quinque et viginti apud Hyginum recurrunt; sed illud potius, quod doli auctorem partim, quod simplicissimum est, Tyndareum ipsum, partim Ulixem exhibent. Ab illa parte stant praeter Euripidem ipsum schol. Laur. Soph. Ai. 1113. [Lucian.] Charidem. 17. Paus. III 20, 9; contra Ulixem addunt Apollodorus, Hyginus, Libanius laud. Ulix. (Tom. IV p. 925,20 Reiske), denique tragicus poeta Latinus ap. Cic. Off. III 26, 98. Utrum Stesichori sit si sciscitaris, discrimen quodammodo positum est in tragoedia Latina[26]). Versus de quibus agitur

---

[25]) Welcker. Ep. Cycl. II 146. Preller. Myth. II 438 sq.

[26]) agitur de primo fragmenti versu: „cuius ipse princeps iuris iurandi fuit", cuius vim rectius quam Welckerus Gr. Trag. p. 102 perspexerat iam

non Ulixi furenti desumpti sunt, cuius totum fere argumentum paucis istis verbis continetur, sed Armorum iudicio vel Accii vel Pacuvii, quorum exemplum fuit Aeschylus. Et hic si illa perhibuisset quin ex Stesichoro hausisset, non dubitandum est. At in lubrico solo consistimus; nam Aiacis oratio, unde versus petiti sunt, quantopere rhetorum sententiis ornari soluerit constat. Contra Euripidis narratio e qua deest Ulixes, fere testimonii instar est de Stesichoro. —

Hoc fonte semel detecto quaevis a tragico habentur de Helenae nuptiis, ab illo magnopere illustratis, animadversionem exigunt, licet per se ita comparata sint, ut etiam sine certo auctore dici potuerint. Cuiusmodi sunt in Helena 722:

νῦν ἀνανεοῦμαι τὸν σὸν ὑμέναιον πάλιν
καὶ λαμπάδων μεμνήμεθ᾽ ἃς τετραόροις
ἵπποις τροχάζων παρέφερον· σὺ δ᾽ ἐν δίφροις
σὺν τῷδε νύμφῃ δῶμ᾽ ἔλειπες ὄλβιον.

et 638 (ubi Menelaus loquitur):

ἂν ὑπὸ λαμπάδων κόροι λεύκιπποι
ξυναίμονες ὤλβισαν ὤλβισαν
τὸ πρόσθεν, (ἐκ δόμων δ᾽ἐνόσφισαν θεοί σ᾽ ἐμοῦ).

In quibus etsi albi equi Castorum vulgare attributum sunt, tamen ante Euripidem (et novissimam quidem aetatem cf. Iph. A. 1154 *ἵπποισι μαρμαίροντε*) testimonia non habeo praeter Pindarum P. 1,66 (*λευκόπωλοι*); commemoro autem, quod grammatici veteres adnotavere (Eust. p. 524, 28.), Stesichorum *λεύκιππος* adiective usurpasse (adnotatio absurda nisi ille primus id fecisse diceretur). Dioscuros ille significasse videtur. *λευκίππους*, quo cognomine Thebani quoque Dioscuri excellent, Ibycus Molionides dixit (fr. 16 Bgk.), quos ut Castores ex ovo natos esse constat ita cum illorum personis artissime cohaerere mythologia docet.

3. Praecedunt in Iphigenia Aulidensi fabulam de Tyndareo procisque relatam duo versus, initium prologi:

Ἐγένοντο Λήδᾳ Θεστιάδι τρεῖς παρθένοι
Φοίβη Κλυταιμνήστρα τ᾽ ἐμὴ ξυνάορος
Ἑλένη τε.

Meziriac. ad Ovid. her. I p. 28; sensum indicare poterant Libanii verba admodum similiter conformata: *καὶ γὰρ τῶν ὑπὲρ τῆς Ἑλένης ὅρκων οὗτος αἴτιος ἦν.*

Hanc Phoebam excepto Ovidio[27]) Her. VIII 75, non invenimus. Tertia Tyndarei filia inde ab Hesiodo (fr. 112. 109 Kink.) Timandra vulgo audiebat, quo nomine etiam in vasculis quinti saeculi occurrit. Apollodorus quartam Tyndaridem inducit, quae est *Φιλονόη, ἣν Ἄρτεμις ἀθάνατον ἐποίησεν*, quam Philonoam quin Hesiodus commemorare potuerit, salvo eius de tribus nuptis Tyndaridibus iudicio (fr. 112), nihil obstat. Utri harum respondet Phoebe? Timandrae an Philonoae? Dissolvi haec quaestio nequiret, nisi viam quodammodo monstraret Hieronis figuli vasculum, in quo Helenae raptus expressus est. Ibi praeter Timandram alia puella adest *Εὐῶπις* (*Ευοπις*) nominata, iuxta Timandram posita, quae reversa Icario et Tyndareo non sine anxietudinis indiciis nuntium refert de Helenae discessu. Mirari possis, cur Icario maxime nuntius afferatur, non Tyndareo potius, aut cur non Tyndareus primo loco positus sit; et profecto demptis inscriptionibus senem potius (Icarium nominatum) quam secundum illum pro patre Tyndaridum habueris, ita ut opificem locos inscriptionum incuria commutasse inter se suspicari possis. Sed utcumque id se habet, puellam illam iuxta Timandram positam, Euopin, Tyndarei filiam esse dices, non Icarii, cui praeter Penelopam filias fuisse non traditur[28]). Iam quae argumenta se praebent adhibenda, mera mythologica sunt; sed in Tyndarei familia personae tam veteres sunt tamque dilucide etiamnunc divinam originem produnt, ut ei qui hasce vias firmiore pede permeare assueverit, uti illis haud illicitum videatur. Phoebae nomen, quo Euripides tertiam Tyndarei filiam vocat, alioquin occurrit in altera Leucippide, sorore 'Hilairae', quod Lunae cognomen esse testatur Empedocles (Plut. fac. lun. p. 920 C.), Phoebe porro vocatur Hyperionis Titanis uxor, mater Solis, Lunae, Aurorae, in quo monendum Hyperionem ipsum nihil quam cognomen Solis esse persona indutum. Id certe apparet nomen tertiae illus Tyndaridis summi momenti altiorisque sensus esse et si cum Timandra et Philonoa, de quibus ambigitur, comparatur, multo propius accedere ad Philonoam virginitate insignem

---

[27]) Videtur id Euripidi debere, si modo „Phoebas" quoque (de Cassandra. Am. II 8, 12. Trist. II 400) rariorem vocem in ipso Euripide legit qui eam — unus, quod sciam — exhibet Hec. 827. Unde Ovidius Troiae moenia esse 'Phoebeae structa canore lyrae' Her. XVI 180 (XV, 76 R.) comperuit?

[28]) Pausaniam VIII 34, 2 etsi, postquam de Perilao Icarii filio quodam disseruit, addit: „postmodo Icario etiam filias natas esse", non plus quam unam Penelopam nosse necesse est, sicut nos fere de Perilao dicere possimus, non notum aliunde esse „Icario etiam filios fuisse".

absque Diana inter deos receptam. Et haec ipsa consecratio, quae cum Iphigeniae in Hecatam mutatae fabula multisque aliis comparari potest, ostendit quam non diversa olim a Diana ipsa Philonoa illa fuerit; quod confidentia quadam proferre eo minus veremur, quia Philonoa audit etiam Bellerophontis socia Corinthii (Apollod. II 3, 2, 3), cuius persona solem significari longe diversa via et ratione iamdiu cognovimus — quod exponere hic longum est —[29]). Eodem devenimus si de Euopide quaerimus argumentatione usi futili et illicita ubi forte de ancilla aliqua, concessa et accommodata ubi de Castorum sorore agitur. Etenim Upis vel Opis cognomen esse Dianae, nisi testaretur diserte Alexander Aetolus p. 225 Mein. (cf. Etym. M. s. v.), eluceret tamen et ex mytho Deli insulae, qui est de virginibus Hyperboreis, et ex cantu Troezeniorum Dianae sacro, qui *Οὔπιγξ* vocabatur (Schol. Apoll. Rh. 1, 972)[30]). Inde igitur *Εὐῶπις*. — Et quod Phoebam attinet poterat profecto ultro statui auctorem eum (ab Euripide consultum) qui Timandram notissimam omitteret auctoritate niti propria nec multo minore quam Hesiodea. Talis fuit Stesichorus, quem, ut vidimus, in proximis versibus qui sunt de procis Helenae expressit. An putarit quisquam poetam dum uno et eodem spiritu duas fabularum novas versiones profert, auctoribus uti pluribus? Hoc qui fieri potuisse credat, nimis parvi ducat auctoritatem et vim tanti exempli, quantum Stesichori carmina erant semel evoluta et perlecta, quam vim inde ab anno 413 (Electra) vel potius, ut apparebit, ab a. 415 admissam tam brevi annorum spatio effugere poeta noster ne potuisset quidem, si iam voluisset; at, puto, ne voluit quidem, si modo ante, quid Euripides illis annis sibi proposuisset, recte descripsimus. Quae non ita dico quasi lectiones aliorum poetarum prorsus oblitus fuerit; tantummodo hoc prologi loco Stesichori auctoritate gravissima insignito per duos versus auctorem mutasse non censensendus est.

Haec si iure meo statuo, inde haud scio an explicandum sit, cur in Electra v. 1063 sqq., ubi Tyndaridum pravi mores comparantur, de Timandra illo tempore haud ita ignota prorsus taceat poeta. Nam quae de Clytaemnestrae formositate (1063) et

---

29) Ceterum Pirene (eponyma Corinthii fontis) filia dicitur Oebali Lacedaemonii. Hesiod. ap. Paus. II 2, 3.

30) Locupletiora testimonia collata sunt a Plewio: Preller Myth. I 246, 4. Conferenda est cum Euopide *Ἐριῶπις* Aesculapii soror, Apollinis filia et Arsinoae (Asclepiades ap. schol. Pind. P. III 14), quae Arsinoa ad Leucippi filias nos reducit.

munditiis profert (ibid.), hisce similia forte non habuisse illum de Timandra, id nobis obverti non poterit, quoniam ne de Clytaemnestra quidem talia alioquin traduntur. Sed hoc utcunque se habet, tenendum est Stesichorum, nisi egregie nos fefellit ratio, Timandram non perhibuisse. Quod equidem minime mirarer, cum eum veteriora referre quam e. gr. Cypriorum auctorem in Helenae fabulis videamus (p. 24. 34), atque Lacedaemoniae vetustati ille et memoriae propinquior fuerit natione et argumentis, quam ipse Hesiodus. De Timandrae autem persona quantumvis circumspexeris nihil aliud quam illud cum Echemo[30a]) matrimonium et ad Phyleum transitus invenitur; et ne haec quidem historia ad veteres ullos heroes spectat, sed ad Heraclidarum aetatem, quae iam historica potius quam fabulosa appellanda est. Inserta est Timandra propter genealogiam et eam quidem quae Doriensibus palam faveat (cf. Robert. Bild und Lied p. 189), qua dempta merum nomen et umbra Timandra est, quae nec cum Helenae antiquissimo numine, nec cum Clytaemnestrae fama iam Homero nota, nec cum Phoebae nominis vetusta gravitate componi ullo modo potest[30b]).

4. Quae iam prolaturus sum, ea utrum ad Helenam an ad aliud Stesichori carmen v. c. Orestiam pertineant, videndum erit. Agitur

---

[30a]) *῎Εχεμος*, difficilius nomen, haud scio an olim *῎Εχιμος* fuerit, quod idem sit atque *᾽Εχίων* i. e. autochthon; nam anguis symbolum terrigenae nationis.

[30b]) Res ni fallor similiter se habet in Hippocoonte, qui ignoratur in stemmate quod Apollodorus (III 10, 3) Stesichoro laudato profert, quod hac ipsa re a vulgari genealogia differt. Namque in stemmate gentium illarum geminarum quarum altera a Tyndareo et Icario, altera a Leucippo e Aphareo originem repetit, Hippocoon locum habuisse non videtur; intruditur in alterum, intruditur dico; nam ut Tyndareus in Aetoliam expelleretur (id quod vetusta fabula, licet vera itineris regione perversa), unus frater sat erat, isque Icarius. Jam si genealogi rem ita pervertunt, ut litem inter Tyndareum et Hippocoontem esse, Icarium autem accersitum ab Hippocoonte dicant (Paus. III, 1), certe inde non sequitur Icarium antiquitus aut secundas aut nullas habuisse partes; immo Hippocoon *νόθος* vocatur (Schol. Eur. Or. 457. schol. Hom. B 581), cuiusmodi de Icario nihil traditur; quod tam grave discrimen sufficit ad rem profligandam, sive lis fuit antiquitus inter Tyndareum et Icarium, sive non fuit. Et profecto fabula Hippocoontis, quam illustrandam libenter largimur genealogis Hesiodeis et Alcmanis tardissimo ingenio ut intruderetur omnino factum est fraude Doriensium (v. Robert. l. c. 188 sq.) Qua vacuam esse memoriam Chalcidensis poetae nunc videmus; neque enim Timandram neque Hippocoontem agnovit Stesichorus.

enim de Iphigenia. Et causa, cur virgo immolanda fuerit, in Cypriis fuit superbia Agamemnonis cum Diana in arte venatoria certantis; quae narratio ut Wilamowitzius monet (Herm. XVIII, p. 250) Orionis et Actaeonis fabulis similis, quatenus ad Aulidem spectat, Boeoticis illis origine quoque affinis est. Satis obscurum in Aeschyli tragoediae est, quae et cuius noxa fuerit, quae tam crudeli sacrificio expianda esset. Nam venationis nullo verbo mentio fit; atque *τέρας* illud aquilarum duarum leporem feminam diripientium, quo ira Dianae portenditur, de causa ipsa nihil docere videtur; id quidem primo aspectu. Tamen fieri non potest quin aliquod indicium insit; neque si totum portentum temere huc insertum esse censet vir doctissimus[31]), assentiri ausim. Nam quis gentium curat avium negotia, lepusculi fatum, Dianam id aegre ferentem, nisi et ipsa ad rem pertinent? cum praesertim tantummodo *ξύμβολα* ea esse et ex versu 136 quamvis corrupto eluceat et sequentibus verbis doceamur: *δεξιὰ μὲν κατάμομφα δὲ φάσματα.* Cui tandem *δεξιά*, cui *κατάμομφα*? nempe aquilis duabus, Atridis! Quid, istane, nisi quid gravius subesset, persequeretur poeta in primario hoc tragoediae et gravissimo cantu, quo tamquam immortalibus chordis pectora nostra repercussa sentimus? Nonne divina arte abusus esse et fere lusisse videretur? Immo illa manifesta: irasci deam Atridis, sacrificium flagitare pro communibus dapibus vel fruendis vel iam perceptis. Et fruendis quidem dapibus Troia significari possit (quare femina lepus ille dicitur); sed forsitan simul aliud in mente habeat hisce versibus:

οἷον μή τις ἄγα θεόθεν κνεφάσῃ προτυπὲν στόμιον μέγα Τροίας
† στρατωθέν. οἴκῳ γὰρ ἐπίφθονος Ἄρτεμις ἁγνὰ
πτανοῖσιν κυσὶ πατρός.

Invidet — quam vocem adversam statim corrigit augur apposita *ἁγνὰ* —, invidet Diana domui, aquilis istis. Nescio quid in his laborent interpretes. *Οἴκῳ* enim, quae vox excipitur atque explicatur verbis *πταν. κυσὶ*, tam manifeste opponitur rei militari,

---

[31]) Wilamowitz. Herm. XVIII, 253: ‚Das Vogelzeichen verkündet dem Seher nur, dass die Göttin zürnt. Zwei Adler eine Häsin zerfleischend ist als Münzbild z. B. von Akragas bekannt; es war offenbar ein besonderes *τέρας*, und ist von Aeschylos mit höchster Wirkung hierhergerückt, aber es ist für die Sage ohne Belang.‘ Sane mytho non desumptum est, tamen in fabula Aeschylea non potest nullius momenti esse.

ut vel ideo commutare eam non debuerint, etiamsi res minus esset perspicua: domestica aliqua noxa latere videtur. Hic apte meminerunt[31a]) fabulae ab Euripide in Iphigenia Taurica v. 17 sqq. prolatae, a Cicerone Off. III 25, 95 repetitae: Agamemnonem olim „cum devovisset Dianae (Ciceronis verbis utor) quod in suo regno pulcherrimum natum esset illo anno", oblitum esse Iphigeniae, „qua nihil erat eo quidem anno pulchrius natum"; quod sacrificium tum flagitanti deberi Dianae (*φωςφόρῳ θεῷ*). Haec fabula bene concinit cum Aeschylo; nec potest obverti, portentum illud ad utrumque Atridam spectare, non Agamemnonem unum; namque etiam sacrificium tantummodo alter offert, non uterque. Sed obstare tamen huic concentui alia ratio videtur. Nam in proxima stropha chorus respicit aperte Clytaemnestrae cruentum facinus postmodo committendum, ita ut haec potius res, item domestica, spectari, causa autem irae divinae rursus elabi nobis videatur. Tamen admodum mire cum auguris vaticinatio tum deae consilium se haberet, si primo ira illius nuntiaretur, deinceps placaretur numen sacrificio, tum nihilominus fata in domum Agamemnonis irruerent! Difficultas hic latet longe gravior quam illae quas in poetae verbis — quamvis obtortis et oraculo dignis — indagasse sibi videntur interpretes. Etenim mutato *οἴκῳ* illo mentio domesticarum rerum non removetur, sed mox recurrit. Quid ergo faciamus? Equidem, si altius repetere liceret mentem Dianae Atridis infestam, nullis iam difficultatibus impedirer: potest enim evinci, numina Troiae faventia, i. e. Troiae antiquissime culta, Apollinem fuisse et, quod minus notum, Dianam, quam memoriam veteriorem et in Euripide inveniemus nec non ab Aeschylo servari quispiam sentiat. Sed enarratio Aeschylea inde non dilucidior fit, cum vaticinii illius singula argumenta quomodo inter se coagmentari voluerit, prorsus non assequor. Una sententia praesto est: uno quodam amplissimo aspectu in limine tantae trilogiae posito fata domus Agamemnoniae sub oculos obiecit a primo domestico peccato — voti oblivione — exorsus per saerificium ratum factum iterum ad mala revertens; quem incredibilem fatorum connexum in immortali proximo cantu (149 sqq.), (cuius cum prioribus contextus alia ratione haud facile perspicitur), ipse pientissimus poeta non dico reprobare sed humana sapientia superiorem et modo summa in Iovis consilio posita ac paene demersa fiducia probabilem dicere videtur.

[31a]) Wilamowitz. l. c.

Sed missa Aeschyli divina caligine in Euripidis diserto testimonio perstare lubet. Fabulam habemus antiquissimam; nam et ad *Καλλίστη* nomen Dianae-Iphigeniae respicitur tecte, et Diana, ut Robertus monet, etiam agris hic et frugibus praeest, quod idem in Meleagri fabula observavit O. Muellerus Dor. I 375, 5; nempe si quodcunque annus fert uni Dianae vovetur, non beluarum modo, quod pervulgatum est, sed camporum quoque fetus sub eius dominatione esse indicatur. Cui autem debetur narratio Euripidea? Wilamowitzius nuper in eleganti disputatione „de utraque Electra“ (Herm. XVIII p. 256) coniectura usus Stesichoro eam attribuit. Argumentum attulit Lycophronis versus 326 sqq.

ἣν εἰς βαθεῖαν λαιμίσας Ποιμανδρίαν
στεφηφόρον βοῦν δεινὸς ἄρταμος δράκων
ῥαίσει τριπάτρῳ φασγάνῳ Κανδάονος
λύκοις τὸ πρωτόσφακτον ὅρκιον σχάσας,

in quibus ab ipso cum parte scholiorum ad Iphigeniam rectissime relatis uno verbo quod est *δράκων* Stesichoreum illud *τᾷ δὲ δράκων ἐφάνη* de Agamemnone dictum[32]) respici coniecit. De qua causa utcunque iudicas, certe nos quoque iamdiu de Stesichoro cogitasse confitemur. Omitto universam Stesichori auctoritatem, quae quanta fuerit in fabulas Euripidis inde a 415 scriptas etiam pluribus exemplis quam adhuc allatis statuemus. Ipsam potius fabulam spectemus, qualis sit et unde fluere potuerit in Euripidis poesin. Poterat autem Dianae potestas illa agraria ex Boeoticis fabulis, unde Aulidensis est de Agamemnone venatore, nullo modo percipi; desunt illic omnia talis religionis vestigia. Poterat etiam minus ex Attica memoria, ubi etsi Brauronia antiqua illa religio et Iphigeniae fabula florebat, tamen dea ista omnino in mulierum fatis versatur. Occurrit in Attica vulgaris Dianae cum beluis necessitudo; habemus *Ἀγροτέραν* prope Ilissum et eandem regionem persequentes Munichiae Dianae fabulam sacra ursa insignem[33]), quam beluam Attica fama recolit et in Iphigeniae immolatione utpote virginis loco a dea subiectam (v. Wilam. Herm. l. c. p. 259, 1) et in caerimoniis Brauroniae deae (*ἄρκτευσις*); denique taurum commemoro in locum Iphigeniae subiectum (v. Wilam. l. c.)

---

[32]) cf. Robert. Bild u. L. p. 170 sq.
[33]) Paroemiogr. v. *Ἔμβαρος εἰμὶ* et Eust. ad Il. 331, 26.

cui symbolo *Ταυροπόλος* cognomen Brauroniae deae (Strab. 399)[34]) respondet. Sed omnia haec eo quo tendimus viam non aperiunt. Animum adverti opus est in Peloponnesum, unde tota Dianae Iphigeniae fama in Atticas oras transgressa est; illic enim, quo etiam Megara pertinet, Dianam ipsam nomine Iphigeniae compluribus locis appellari videmus. Ubi si de Dianae agraria potentia quaerimus, quae in Oenei fabula iterum occurrit, nullius regionis memoriae cum Aetolia tanta necessitudine connexae sunt quam Laconicae. Constat de Tyndarei fuga, de Leda Thestii filia, de ipsius Tyndarei nomine Tydei cognato[35]), de Tyndarei fratre Icario, quo nomine alias Bacchi cultor princeps appellatur, cuius dei cultum *Οἰνεύς* ipse et utriusque cum Althaea conubium prodit; eodem pertinet fabula de Orestheo, vitis primori possessore, in Aetoliam migrante[36]) absque Oreste fortasse non diverso et de mirifica illius cane parturiente, cum *Κυνόρτας* Amyclaeo nomine (Tyndarei patre) proxime connexa; denique addo Pollucem a Meleagro interfici (Schol. Hom. λ 302). Ecce nos in ea Peloponnesi regione de cuius antiquitate fabulosa nemo plura aut meliora cecinit quam Stesichorus. Cui rationi, per se fortasse infirmiori, adminiculum haud spernendum inde accrescit, quod Stesichorus de Tyndareo fabulam tradit prorsus similem illi quae de Oeneo ferebatur: Oeneus cum omnibus diis sacrificaret unius Dianae oblitus esse dicitur, *ἢ λάθετ' ἢ οὐκ ἐνόησεν* (Hom. I 537). Idem habes — nisi quod de Venere agitur — in Stesichoro fr. 26, quam fabulam cave ne iam in Hesiodo quaeras (fr. 112 Kink.), ubi res longe aliter comparata est[37]). Vides ad communem eum memoriarum rivum esse perventum, unde etiam Euripidea fabula, quae est de voto Agamemnonis, hausta videtur.

Ceterum cum Iphigeniae immolatio in Orestia locum habuerit Philodemo teste (Stesich. fr. 38), Wilamowitzius summo iure eam in rebus Clytaemnestrae narrari collegit, ita quidem ut illam

---

[34]) ubi inter Halarum Araphenidum et Brauronis religiones sine iure discerni a Strabone, iam intellectum est viris doctis.

[35]) *Τυτάρεος* Hieron pictor scribit, is fortasse vulgari negligentia loquendi usus; sed ex eadem vulgari incuria fabularum et nominum varietatem oriri memineris.

[36]) v. Welcker Götterl. I 431.

[37]) *Τῆσιν δὲ φιλομμειδὴς Ἀφροδίτη*
ἠγάσθη προσιδοῦσα, κακὴν δέ σφ' ἔμβαλε φήμην.
invidet igitur Venus Tyndaridibus nimiam formositatem: deorum invidia pervulgata in mythologia causa malorum ubi certa et peculiaris nulla scitur.

causam Clytemnestra praetenderet, qua ipsius in maritum improbitatem excusaret. Idem sequitur (praeter Pindarum P. XI, 22) Aeschylus in gravissima illa parodo (140), idem non, opinor, ad Aeschylum sed ad Stesichorum ipsum se applicans Euripides El. 29. 1020 sq. Quibus perspectis ne id quidem ambigetur, unde in eadem tragoedia 1023 Euripides Ἰφιγόνην nomen mutuatus sit, formam grammatice quidem haud difficilem et cum Ἠριγόνη, Ἠριγένεια comparabilem, sed porsus singularem et ab Euripide nequaquam fictam.

Sed iam poscimur iudicium ferendum de altera fabula Stesichoro a Pausania I 43 impertita, qua Thesei et Helenae filia dicitur Iphigenia. In qua re confiteor me non assequi, cur non utramque fabulam Stesichorus nosse potuerit atque enarasse, quod ne diversis quidem carminibus facere debuit, si modo lyrico huc illuc vaganti (cf. fr. 46) licuit varias famas perlustrare atque etiam, quod fecit ille profecto, examinare. Sed habuerit sane haec fabula locum in Helena, altera in Orestia; quod statuit Bergkius in novissima editione. Et profecto quidni fabulam eorum — licet reprobans ipse — referre poterat, qui iam ante Menelai coniugium peperisse Helenam contenderent? Fuere etiam (Euphorion et Alexander Aetolus: Paus. l. c.) qui duas fabulas conflarent, ita ut Helena Menelao nuptura Iphigeniam cum Theseo prognatam Clytaemnestrae subiecisse diceretur; at Clytaemnestram suppositae filiae nece crimen suum excusasse, quam quidem duplicem fraudem homines perspicere nequirent, id vel ridiculi aliquid haberet. Persequor haec quod re vera non nulli (Duris [38]) et Lycophron) Thesei filiam Iphigeniam cum sacrificii fabula coniunxere. — Et Wilamowitzius quidem fabulam quae est de Helena a Theseo rapta Stesichoro abiudicavit errore Pausaniae supposito et Rhamnusiae regioni tribuit. At ubi de Iphigenia et Helena agitur, primum audiendi sunt Peloponnesii. De Iphigenia iam dictum est, de Helenae religione a Spartanis loco deae genitalis et obstetriciae cultae constat. Neque Athenis de Helenae sacris ullum vestigium est. In Peloponneso contra praeter Spartam indicium manifestum habes Argis (Paus. II 22, 7) cuius in antiquissimo loco maxime propinqua inter se erant fana Castorum et Leucippidum et Ilithyiae, idque „ἀνάθημα" ex Ἑλένης voto cum ipsa a Theseo rapta fratrum ope reduceretur. Sentis quae sit illa Ilithyia [39]) cum Dioscuris et Leucippidis coniuncta. Eodem pertinet quod proxima his

---

[38]) Schol. Lycophr. 513 δώροις δὲ λέγει; correxit Wilamowitz.
[39]) id quod non fugit Usenerum mus. rhen. XXIII. l. c.

delubris erat Niobae sepulcrum, cuius liberi superstites erant Chloris et Amyclas[39a]) (Paus. II 21, 10). Hic igitur locus cum mythologia Spartana propius cohaeret quam Atticae ullae regiones. *Τοῦ δὲ ἱεροῦ τῆς Εἰληθυίας πέραν ἐστὶν Ἑκάτης ναός.* Digito monstro hanc Hecatae propinquitatem, quod eius, scilicet Iphigeniae religio in totam peninsulam orientalem dominatur, ubi Thesei regnum est; nam Thesei fabula adhaeret delubro illi Helenae-Ilithyiae. Fortasse longa tibi via videatur ab Argis usque Troezena. Sed respice ad Aethram, quae apud Homerum (*Γ* 144) ab Helena servitio tenetur atque in Cypselae arca ut serva ab eadem castigabatur; ac ne Aphidnaea quidem fabula principio aberat a Peloponneso[40]). Quid hic ergo Athenae? Aethra numquam, Theseus sero Athenas migravit, quod nemo prius et melius docuit quam ipse Wilamowitz. (Aus Kydathen p. 101, 8). Ex illa Peloponnesi regione Theseus raptor Spartam venit, sicut e contraria ora Paris. Mulierum rapinae in Spartana antiquitate sicut alias, e. gr. penes Sabinos, moris fuisse videntur, nam Castores quoque raptu uxores ducunt. Inde Helenae fabulae pendent. Ac fortasse usque ad Troezenias regiones migrare ne opus quidem est. Theseus enim Homero (*Α* 265) in Lapitharum ducibus est. Lapithas autem pater dicebatur reginae Amyclaeae (Diomedae) Apd. III 10, 3, 2; porro *Λαπίθαιον* habes vel fanum vel locum in Lacedaemone situm (Paus. III 20, 7). Ecce Lapitharum cum Sparta necessitudines. Quae Stesichoro in primis innotuisse poterant, quoniam homines Metapontini genus ad Nestorem Pylium reducebant (Strab. 274), quem in Iliade (l. c.) Lapithis imperitare audimus. Huic igitur poetae si apud Pausaniam fabula tribuitur de Helena a Theseo rapta, summa id cum probabilitate evenit. Denique quod tragicorum nemo hanc fabulam attigit, ne id quidem origini Atticae favet. —

Ad tragoedias novissimae Euripidis aetatis revertentibus narratio nobis se offert valde memorabilis quamvis ignotae originis. Ut in Thesei fabula Helena, ita in illa Clytaemnestra, priusquam ab Atrida in matrimonium duceretur, iam alii viro nupsisse dicitur, qui Tantalus audit; exstat mira haec fabula Iphig. Aul. 1149, ubi uxor Agamemnonem increpat:

[39a]) quibusum comparare possis Polyboeam et Hyacinthum fratrem, par illud quod in Hyacinthi ara Amyclaea in caelum tolli videbatur.

[40]) v. Robert. apud Wilamow. Philol. Unters. I. (Aus Kydathen) p. 101, 8. Aphidnae mentionem etiam in arcae illius inscriptione agnovit Bergkius P. L. G. ad Alcman. fr. 13 [3] egregia usus coniectura.

ἔγημας ἄκουσάν με κἄλαβες βίᾳ,
τὸν πρόσθεν ἄνδρα Τάνταλον κατακτανών,
βρέφος τε τοὐμὸν σῷ προσούρισας πάλῳ.
μαστῶν βιαίως τῶν ἐμῶν ἀποσπάσας.
καὶ τὼ Διός γε παῖδ' ἐμώ τε συγγόνω
ἵπποισι μαρμαίροντ' ἐπεστρατευσάτην·
πατὴρ δὲ πρέσβυς Τυνδάρεώς σ' ἐρρύσατο
ἱκέτην γενόμενον, τἀμὰ δ' ἔσχες αὖ λέχη.

Grammatici veteres qui summam fabulae afferunt (Schol. Hom. λ 430) etsi more suo de nonnullis („*ἔνιοι*“) auctoribus loquuntur, tamen praeter Euripidem quem citant auctorem nullum, certe antiquiorem neminem habuisse videntur. Pausaniae auctores, qui fabulam exhibent breviter, patrem Tantali huiusce Thyestem vocant (II 18, 2. 22, 4) aut Broteam (II 22, 4). Fabula, Timandreae haud absimilis, antiquior est, atque forsitan prototypon illius fuerit ita quidem, ut homines (scilicet Dorienses) id non satis habentes etiam ultro hanc Tyndaridem se coniugis interfectori dantem fingerent[40a]). Tantalum ipsum non modo antiquissimum, sed ne a nobilissimo quidem Tantalo, Niobae patre, diversum puto, cum sepulcrum iunioris illius monstrarent Argis proxime situm a Niobae ipsius busto. Quamquam grassavit in hisce notitiis, sicut traduntur, posteriorum inscitia: Tantalum non iam fingere sibi poterant nisi Lydum[40b]); quare si id nomen Argis antiquissimo loco ferebatur, ad iuniorem Tantalum id referebant. (In Niobae fabula contrarium evenit; ea antiquitus in Sipyli regione pervulgata posteriore aetate in propria Graecia, Thebis maxime, locum habuit ita ut memoria quae erat de Argiva origine et Phoroneo patre non obliteraretur)[41]).

[40a]) quamquam Phyleus non Echemona interfecit.

[40b]) Re vera Tantali fama non magis Lydiae originis est, quam Pelopis, quem Graecum genuinum esse demonstravit Robert. B. u. L. p. 187, 35; cuius adnotationi addo schol. vet. Pind. Ol. IX 15. *ὁ Πέλοψ κατὰ μέν τινας Λυδός, κατὰ δέ τινας Φρὺξ ἢ Παφλαγών, κατὰ δὲ Ἀντεσίωνα Ἀχαιός.* —

[41]) Quodsi in maioris Tantali regione, in Sipylo, de cuius fabulis popularibus Pausanias ipse idoneus testis est, Broteas Tantali (scil. maioris) filius dicebatur, quem Broteam nunc iunioris Tantali patrem dici videmus, inde utrumque Tantalum eundem esse nondum evadit, cum mythographi invento semel minore Tantalo Broteam illum facile accersere potuerint. Plus valent haec: Thyestes et Tantalus proxime inter se connexi sunt cruento more vetustissimo hominum immolandorum, qui diutissime in Arcadia, in Lycaei

Latius huius narrationis vetustas pertinet, si quidem cum Helenae haud absimili fabula eam conferre licet. Illic Helena, hic Clytaemnestra iam peperit ante Atridae matrimonium; infans utrobique ad Atridam transfertur, in Iphigenia quidem tacita fabularum mutatione (transitu ipso non notato — an vera cecinere Euphorion et Alexander Aetolus? —), Clytaemnestrae infans palam arripitur ab illo. Quamquam utrobique Atrida ille Agamemnon est (nempe non Menelaus Iphigeniam filiam recepit). Tamen quae est ambiguitas in hisce memoriis, cum nunc Menelaus, nunc Agamemnon in Spartam dominari, nunc rursus Agamemnon, nunc Helena Argis locum habere videatur, nil admirari optumum erit. Ac vel ipse Menelaus huc facit. Herodotum in Helenae rebus Aegyptiis antiquiorem famam referre videramus. Illic Menelaus fertur cum Helenam repeteret, ad ventos placandos duos indigenarum pueros infantes mactasse, fabula Tantali, Atrei, Agamemnonis[42]) rebus similior, nisi quod illi proprios vel cognatos liberos, hic alienos immolat. Sed cum saepe fabula cum persona cui adhaeret in alieniores migrat regiones, tum id facinus, quod ab uno homine in barbara terra susceptum periculosius ac fere incredibile est, principio pertinet ad Peloponnesum. Ubi si infantes mactavit Atrida, qui tandem illi cuiusque fuere parentis? Nonne proxima erat uxoris suae proles a priore marito procreata? Tantummodo digito monstro vetustam istam Menelai fabulam a Duhnio parum intellectam, qua forsitan accrescente materia aliquis felicius etiam quam mihi contigit uti potuerit. Certe similitudo istarum Helenae et sororis fabularum sicut nunc conformatas reperimus non ea est, ut altera alteram excludat utque non

---

Jovis religione, cuius antistes fabulosus Lycaon est, permansit. De Tantalo filium mactante constat. Θυέστης autem principio ipse 'sacrificans' et comedit filios — quod postea fabula in importunum errorem vertit —, et haud dubie mactavit, idque ad immolationem. Ad eundem cruentum morem Broteae nomen referre videtur Preller. I 536, 3 De Thyestae fabula addo, quod monet Robertus, illum simulatque quorum carnem comedisset cognovit tabulam pede evertere (Aesch. Ag. 1572) sicut Juppiter fecit in Lycaonis fabula. His accedit Agamemnonis exemplum item filiam immolantis. Id quoque quod Aulidensi fabula commotus facile poetis attribueris, puellam vel puerum immolandum clam vel sub praetextu aliquo matri subtrahi, iam antiquitus in his narrationibus ferebatur. cf. de Pelope Pind. Ol. I, 46; idem in Athamantis fabula Learchum (insania ut dicunt) mactantis detexisse mihi videor, quod persequi hic longum est. In hunc numerum nunc venit Menelaus; v. textum.

[42]) Consulto omitto Aegisthum Agamemnonis et Cassandrae liberos mactantem Paus. II 16, 5 quippe quae fabella imitationem prae se ferre videntur.

ab eodem poeta utraque potuerit perhiberi. De auctore ipso, cui debeat illam Euripides, nihil affirmo. Tamen in eiusdem tragoediae prologo Stesichorum sequitur, atque etiam, nisi egregie fallor, v. 821, ubi Achilles eximia Clytaemnestrae formositate moratus stupet, quae eadem El. 1062 notatur: res, ut sentio, insolentior, quoniam homines inde ab Aeschylo, qui illam primus in scenam produxerat, matrem et reginam vel mulierem scelestam animo sibi fingere assueverant, at non formosam, Helenae sororis similem; huc mentem advertere haud facile quisquam poterat nisi auctore eo, qui res Tyndaridum a principio repetisset, qualis fuit Stesichorus.

5. Duae restant fabulae Amyclaeae antiquitati propriae et ob eximiam vetustatem cum religionibus prope connexam memorabiles, quam utramque Euripides in huius aetatis tragoediis commemoravit et primus fortasse inter saeculi sui aequales. Quarum altera est Hyacinthi, in Helenae cantico (1469 sqq.) breviter relata: ubi de auctore certius quicquam statuere eo est difficilius, quo nobiliorem in Lacedaemoniorum summis religionibus locum tenebat Hyacinthus. Altera est mirabilis Helenae vel ex ovo vel ex Leda ipsa procreatio, quam in primo Helenae carminis libro defuisse haud verisimile est. Nemo nescit Nemesim diversissimas ut Iovis conubium fugeret formas induisse, donec in anserem mutata ab illo in cycnum converso superaretur et ovum deinceps ederet, ex quo a Leda invento et foto Helena evaderet. Haec altera fabulae forma, quam sic iam in Cypriis narratam fuisse necesse est. Nam illic quoque Nemesim in anserem se mutasse, quamquam diserte non traditur, tamen tantum non certum est, quo alium exitum historia habere non poterat, ne non Iuppiter modo, sed is quoque qui legit auditve deciperetur. Apparet autem hanc fabulam quae inter Ledam et Iovem parentes Nemesin intericit, non antiquissimam esse posse. Nemesis ipsa in diis Olympiis non habetur, una regio ubi sub eo nomine numen qualecumque colebatur, Rhamnus fuit Atheniensium. Helena autem a Leda matre non potest segregari, quod ne Rhamnusia quidem fabula dissimulat, cum Ledae nutricis partes concedat. Quodsi offendit Welckerus (Ep. Cycl. II 131 sq.) in Nemeseos mutatione et partu illo tamquam indigno tanto numine, Kekuléius recte is quidem respondit ovum a tradita Iovis in cycnum mutatione secerni non posse; sed omnino non ab ave proficisci oportet — nam quid Iovi cum cycno sit, difficile intelligitur —, sed potius

ab ovo Ledae, quod Spartae in Leucippidum fano antiquissimo Lacedamonii sibi servare videbantur. Inde tota fabula pendet. Illud autem ovum quam arte cum Ledae persona cohaereat constat. Ergo agitur de Iove et de Leda. Itaque cum alterius parentis aviaria forma consentanea sit, is scriptor genuinam fabulae formam servasse censendus est, qui Ledam cum Iove coiisse ex eoque ovum peperisse refert. Quod inter scriptores superstites primus fecit Euripides, et in Helena quidem; ubi id profecto tam saepe repetit, ut novi aliquid civibus plerisque proferre eum appareat. Commemorat in prologo 17 sqq., in parodo 214 sqq., tum 258 et 1145, tot igitur fere locis quot fabulam de Helenae simulacro Troiam asportato. Nec non in aliis eius aetatis tragoediis eam repetit, in Oreste 1385 et in Iphigenia Aulidensi 793; qui locus inprimis memorabilis, si quidem diserte ibi non ex populi narratiunculis, sed ex scripto veterioris poetae carmine eam fabulam se recepisse testatur.

διά σέ τὰν κύκνου δολιχαύχενος γόνον,
εἰ δὴ φάτις ἔτυμος,
ὡς ἔτυχεν Λήδα
ὄρνιθ' ἱπταμένῳ
Διὸς ὅτ' ἀλλάχθη δέμας,
εἴτ' ἐν δέλτοις Πιερίσιν
μῦθοι τάδ' ἐς ἀνθρώπους
ἤνεγκαν παρὰ καιρὸν ἄλλως.

Ceteroquin si quid in antiquioribus scriptis de hac re invenitur, Sapphus dico fragmentum (56 Bergk.), dicitur Leda — iam temperata fabulosa rei natura — repperisse ovum illud (scilicet nulla Nemeseos mentione facta). Quare auctor quem Euripides sequebatur, propius aberat ab antiquitate Spartana, non tempore is quidem necessarie, sed natione et carminum argumentis. Qualis fuit is, cui Helena debetur Euripidis. Vereor plus disserere de hac cauca, ne luculentam probabilitatem rei pro se ipsa loquentis verborum flumine diffundam. —

His quoniam ostendimus, quot in rebus Euripidis fabulae, quae quidem novissimae poetae aetatis sunt, cum Stesichori de Helena carmine (vel uno vel duplici) ita concinant aut tanta necessitudine cohaereant, ut inde fluxisse omnino censendae sint, dimidium negotii egisse videremur, si hoc loco subsisteremus neque reliquam eiusdem poesin quatenus adierit Euripides perquireremus.

II.

1. Transeo igitur ad Orestiam, ex qua Iphigeniae res iam attulimus. Unum quod erat idque amplius de Orestis rebus carmen, (in quo restituendo Robertus certam et solidam viam praestruxit), ab Euripide non neglectum esse, res ipsa clamaret, etiamsi non diserto constaret testimonio. (Schol. Eur. Or. 268). Tamen reliquiae auctoris difficilius dignoscuntur, cum intercedat Aeschyli gravissimum exemplum, quod in hac aetate semper poetae oculis obversatur[43]). Ad hanc auctoris ambiguitatem pertinent — ut minutias proferam — illa, ut si classis Graecorum *χιλιόναυς* saepius appellatur; velut si Orestes et Pylades ad caedem parati pluries cum bestiis duabus comparantur (Or. 1272), cum leonibus ib. 1401. 1555, cum apris 1460; potest id ab Aeschylo derivari de iisdem dicente Cho. 930 *ἔμολε δ'ἐς δόμον τὸν Ἀγαμέμνονος | διπλοῦς λέων, διπλοῦς Ἄρης*, quamquam cum eadem similitudine de Helena utatur (Ag. 691), cogitatio nostra facile in veteriorem poesin, unde haec huc redundarint, deflectitur. Alia iam pervulgatiora: summa ipsa argumenti; lavacrum perniciosum, quo capitur Agamemnon El. 157. 1148; bipennis quo Clytaemnestra utitur in caede, isque iam obvius in prioribus fabulis, Hec. 1279. Tro. 361 (quamquam in his duabus vestigia Stesichori mox legemus); porro Electrae persona (a Stesichoro inducta), Talthybii senis partes, qui Orestem infantem in Phocidem servaverat, quae sunt in Electra[44]; nec non quae ludit Aeschylus in Helenae nomine recoluisse videtur Euripides Troad. 891—893. Paullo certius iudicari potest de his. Primum de Electrae nominis veriloquio Or. 72 (cf. 663):

παρθένε μακρὸν δὴ μῆκος Ἠλέκτρα χρόνου,

quod repetitur ab Aeliano Var. Hist. IV 26, quo de loco Aeliani disputans iam Robertus monuit a Doriensi aliquo homine veriloquium illud profectum esse necessarie, atque fortasse a Stesichoro ipso. Etenim

---

[43]) Sophoclis Electra, quae adhuc intercedere credebatur, omittenda est postquam Wilamowitzius subtili disputatione posteriorem illam Euripidea Electra esse probavit. Addo de temporum ratione Sophocleam tragoediam ante annum 408 doctam esse necessarie, cum Euripides in Oreste v. 23 (illo anno docta) ut Chrysothemin obscurissimam protraheret nulla ratione inductus esset, nisi praecessisset Sophocles, qui illa persona indigebat ad totum dramatis sui consilium perpetrandum. cf. Wilamowitz. p. 236.

[44]) v. de his omnibus Robert. Bild u. Lied, p. 172 sq.

ab Aeliano quidem sicut traditur cum figmento plus uno coniunctum (v. Rob. p. 173) non alibi falsarius ille quam in Euripide ipso, longe vulgatissimo poetarum, vel in auctore Euripidem sequente legisse putandus esset, nisi Xanthus, quo nomine id citatur ab Aeliano, Stesichorum potius ipsum monstraret (v. l. c.). Euripides autem per se quidem in deliciis habuit veriloquia, quorum plurima attulit Wilamowitzius Anal. Eur. p. 190: Capaneus, Ion, Alexander et Andromacha, Aphrodite, Theonoe, Thoas, Atreus, Amphion et Zethus; quibus adde praeter Electram, *Παλλάς* (Ion 210), *Ζήν* (Or. 1635), *Ταυροπόλος* (Iph. T. 1454. 55), *Γλαῦκος* (Polyid. v. Nauck. fr. trag. p. 440), *Ἡρακλῆς* (Or. 1686), etiam sine dubio *Ἀρχέμορος* (cf. Stat. Theb. V 738 et schol. Clem. Alex. p. 105: Nauck. fr. trag. p. 467); sed nullum in his excepta Electra exemplum eiusmodi est, ut ad sermonem Doricum confugerit poeta. Id igitur Stesichoro eo magis attribui licet, si modo Aeschylus quoque — isque praeter consuetudinem — in Helenae nominis veriloquio tam multum tamque graviter versari non sine Stesichori exemplo videtur. Nec non fabula uno ab Euripide (Hel. 311) servata de divino Electrae sponso, Castore, scilicet matura morte praerepto, bene concinit cum Electrae virginitate vel perpetua vel certe diuturna, si quidem Pyladis matrimonium ad Stesichorum cum Wilamowitzio l. c. p. 221, 1 referre licet. — Item lyrici poetae auctoritatem (omissa Aeschylea) agnosco in illo, quod Clytaemnestram dicit noster occidentem sub plagis filio monstravisse pectus nudatum misericordiae causa movendae; exhibet id El. 1206, Or. 527, 1205 et maxime Or. 566 sq. tamquam rem certam atque traditam. Id ita vix deduci potuerit uno ex loco qui est Choeph. 889, neque enim in scena Aeschylea pectus nudavit regina, quod prorsus abhorruerit a veteris tragoediae decore et verecundia[45]), neque ibi iam res ad ipsam caedem pervenit quamvis instante Oreste: nimirum Aeschylus respicit ad Stesichorum, sicut fecit in bipenni (Cho. 882) ex Agamemnonis caede petito et in Agamemnonis throno (559) (cf. Robert. p. 160. 179, 28); sic crude illud cruenti facti momentum scenae adaptatum in suum usum convertit. In Euripide autem communis utriusque fons ipse profluit, quod fieri poterat, cum noster caedem totam a scena remotam tantummodo narrando oculis spectatorum

---

[45]) idque etiam si histrionum mascula pectora muliebri, ut persona postulabat, forma obtecta fuerint.

obduceret. Atque quod ad rem ipsam pertinet, si recte sentio, poetae Attico — de Aeschylo loquor[46]) — tale quicquam vix ultro in mentem venerit, cum mulieres tunc, matronae maxime, sub diploidio superiecto chitonem Ionicum vestem gererent, in latere non discissum totumque circa pectora conclusum nec facile destringi se patientem. Quod conveniebat peplo Dorico in lateribus aperto; et ratio quaedam suadet, hanc discrepantiam inter domesticam et Spartanam vestem, Tyndaridibus aptam, intercedentem Attico poetae minus praesto fuisse quam auctori Dorico, licet artifices Attici vestimento illo saepe uterentur[47]). — In singulis caedis momentis, quam enarravit Euripides El. 1206—1225, Or. 825 sqq. etsi non dubito, quin Stesichorea expresserit nonnulla, totum tamen Electrae locum huc reponere, id quod libuerit, non licet; quippe in quo partim propria Euripidis poesis regnet, cum versus 1214—1217 vulgo Oresti attributos Electrae esse viderit Wilamowitzius l. c. p. 232, 2, neque vero apud Stesichorum puella ipsa, ut illic perhibetur, telum tulerit in matrem. Nec non huc revocandus locus qui est Or. 825 sqq., nisi quod Furiarum poenam (837) praedicit mater, (cf. El. 1252), id quod ex Aeschylo (Cho. 917) desumptum esse potest.

Valde memorabilia sunt *ὀνείρατ' Ἀγαμέμνονος* Or. 618 („insomnia ab Ag. missa“ schol.) vel potius personae inter quas ea communicantur. Etenim sicut in Stesichoro duo Clytaemnestrae insomnia inter se cohaerentia fuerunt vel duae eiusdem insomnii partes (v. Rob. p. 170 sq.), alterum de Agamemnone sub anguinis specie cum illa congresso (Stesich. fr. 42), alterum de anguine a Clytaemnestra nato et nutrito (Aesch. Cho.), Sophocles, ut de hoc primo dicam, item duo insomnia praebet, sed prius illud ita commutat, ut Agamemnonem ipsum cum Clytaemnestra coeuntem et ex sceptro eius humi infixo arborem immanem oriundam faciat Herodotea fabula usus, de altero insomnio nihil comperiamus; id quod eleganti animorum observatione ita instituit, ut Chrysothemis simplicissima puella tantum modo de altero, de priore insomnio, in quo nihil mali est, a matre doceatur et propter illud ad sepul-

---

[46]) Euripides id genus vestimenti de quo in textu dissero saepius in puellis Spartanis perstrinxit. Androm. 595 et ut videtur in Meleagro cf. Cic. Tusc. II 15, 36: Ribb. Trag. Rom. fr. inc. CXI. cf. etiam Hartung. Eur. rest. I, 146 in adnotatione 1.

[47]) quod iam veteres animadvertere: *καὶ τῶν ἐν ταῖς ἀρχαίαις γραφαῖς οὐκ ὀλίγα οὕτως ἔσταλται.* schol. Eur. Hec. 934. p. 451.

crum libationis causa mittatur, celetur autem de vera timoris materni causa[48]), quae tam gravis est, ut ne remotis quidem arbitris Clytaemnestra eam proloqui audeat ac praecique id anxie cavet, ut ne Electra de importuno illo insomnio comperiat;

μὴ σὺν φθόνῳ τε καὶ παλιγλώσσῳ βοῇ
σπείρῃ ματαίαν βάξιν ἐς πᾶσαν πόλιν (641).

Atque malam istam famam populique rumores Euripides in Electra saepius commemorat 645. 1013. 1039, neque id sine Stesichori auctoritate, cum praesertim iam Hesiodus *κακὴν φήμην* Tyndaridum commemoravisset. Quod autem ad personas attinet, apud Aeschylum Cho. 510 sqq. chorus servarum portentum narrat Oresti; apud Sophoclem Chrysothemis quantum scit quidem cum sorore communicat. Neutrum Stesichoro convenit, qui neque chorum habuit nec, quod confidenter affirmari potest, Chrysothemin induxit, quam Sophocles una cum Iphianassa e Cypriis petitam addidit certo scenico consilio permotus. Immo eum familiaritatis locum apud Clytaemnestram, quem hic tenet Chrysothemis, illic Electra tenebat; neque quicquam veri similius est, quam eam cum fratre reverso statim clam portenta illa communicavisse, unde animo incitaretur ad ultionem atque confirmaretur. Et sic profecto rem se habere videmus in Oreste 615, ubi Tyndareus Orestem increpans Electram quoque incusat:

ἣ τῇ τεκούσῃ σ' ἠγρίωσ' εἰς οὖς ἀεὶ
πέμπουσα μύθους ἐπὶ τὸ δυσμενέστερον
ὀνείρατ' ἀγγέλλουσα τἀγαμέμνονος.

Dicitur hic quidem de nuntio (*πέμπουσα*), versamur enim in scena, eaque Euripidea, ubi nuntii ultro citro eunt atque, ut res magis etiam ex heroum regione in civilem detrahantur, ne epistolae quidem spernuntur; at quis in carmine Stesichoreo nuntium intercessisse putabit? Cui enim loco communicatio ista aptior, quove dignior erat, quam congressui illi in patris sepulcro evenienti?[49]) Apparet insomnia illa fere eodem tempore incidentia cum Orestis adventu, quem illa portendunt paullo ante, in Stesichoro quoque, ut in Choephoris, causam fuisse cur Electra cum

---

[48]) Id sic cum institueret, eo prudentius Sophocles egit, quo minus ipse, si vero diserte afferendum fuisset secundum insomnium, habuisset quicquam priori illi aptum; nam ex angue anguis procreatur, sed arbore illa semel posita nusquam ad traditam viam reditus erat.

[49]) quem primus recte illustravit Robert. p. 167 sqq.

fidelissima serva ad bustum patris iret vel potius mitteretur a matre; nam ad sepulcra, a domibus — ut mos ferebat — longinquiora, ultro ambulare non decebat virginem, etiam si passa esset mater improba. Quare mihi verisimillimum est, quod ex Aeschylo non dilucide evadit, Agamemnonis sepulcrum usque ad illud tempus cultu omni et libatione caruisse iniuria Clytaemnestrae et Aegisthi; sic docemur ab Euripide El. 324.

Ἀγαμέμνονος δὲ τύμβος ἠτιμασμένος
οὔπω χοάς ποτ' οὐδὲ κλῶνα μυρσίνης
ἔλαβε, πυρὰ δὲ χέρσος ἀγλαϊσμάτων.
μέθῃ δὲ βρεχθεὶς τῆς ἐμῆς μητρὸς πόσις
ὁ καινός, ὡς λέγουσιν, ἐνθρώσκει τάφῳ
πέτροις τε λεύει μνῆμα λάινον πατρὸς
καὶ τοῦτο τολμᾷ τοὔπος εἰς ἡμᾶς λέγειν·
ποῦ παῖς Ὀρέστης; ἆρά σοι τύμβῳ καλῶς
παρὼν ἀμύνει; ταῦτ' ἀπὼν ὑβρίζεται.

Ab altera parte Orestem cum amico reversum patris Manibus libare ab Apolline iussum esse audimus (Soph. El. 51), ni fallor ut Manes tamdiu neglectas placaret; quod iussum in scena Sophoclea cum sine apta causa vel occasione referatur perpetreturque, Stesichori auctoritati iure tribuitur[50]) neque dubitandum, quin secus atque in tragoedia, a qua — upote in regia locum habente — sepulcrum Agamemnonis abesse oportebat, in narratione lyrici poetae Orestes patriam nactus statim patris tumulum petierit, ubi cum sorore congressus accidit atque de vindicta suscipienda convenit.

Paullum recessit a Stesichoro Euripides in eo quod non ut ille decem post caedem Agamemnonis annis (v. Robert. p. 164) sed septem potius Orestem revertentem facit; non dicitur id quidem, neque ad summam rei quicquam affert haec discrepantia; latet tamen, scilicet in Oreste, quippe in quo Menelaum poeta Odysseam secutus (Robert. p. 162, 11) una cum matricidio facto redeuntem faciat, qui reditus septem post fratris mortem annis fiebat (γ 305.311), quod ipse Euripides refert in Helena 112.776. Sed, ut dixi, momentum haec discrepantia, quam Orestis tragoediae consilium secum ferebat, effecit nullum, nisi forte id, ut de temporis spatio illo prorsus taceret poeta. Ceterum nisi me sensus fallit, in Electra

[50]) a Wilamowitzio Herm. XVIII p. 214, 1.

(Helenam praecedente), quae plena est Stesichoreae lectionis modo inceptae neque ulla dum Odysseae vestigia praebet[51]), in verbis *παλαιῶν πατρὸς σφαγιασμῶν* (v. 199) spatium decem potius (Stesichoreum) quam septem annorum animo poetae obversatur.

Prorsus incertum est El. 313. 1000, ubi Clytaemnestram in Troicis spoliis luxuriantem describit poeta, id suone Marte fecerit an Stesichoro auctore; potest enim Clytaemnestram Aeschyleam in animo habuisse, quae maritum reversum nimio cum luxu recipit; certe in toto ingressu reginae curru advehentis aperte studet poeta imaginem conformare Agamemnoni illi respondentem. Eadem quaestio est in Oreste 1110 sqq. 1426 sqq., ubi Helenae aula Asianis servis et eunuchis[52]) circa dominam versantibus et flabellantibus frequens depingitur coloribus Persarum regiae convenientibus.

Quo certiorem duco eum concentum, quod Euripides isque unus *ἁρμάτειον μέλος* inducit Or. 1384 et in tragoedia eiusdem extremae aetatis iterum: Iph. Aul. 230; quod genus cantus Stesichoro proprium fuisse eique primo — nam ab 'Olympo' fabuloso musico didicisse dicitur — diserte tradit Plutarchus de music. 7, qui hausit *ἐκ τῆς Γλαύκου ἀναγραφῆς τῆς ὑπὲρ τῶν ἀρχαίων ποιητῶν*[53]).

2. Mirum quantum in Orestis fabula discrepat ab Odyssea Stesichorus; neque enim Furiarum modo vexationes, ut creditur plerumque, sed ut docuit Robertus (p. 162 sq.) totum matricidium alienum est ab Homero. Et quomodo quandoque parricidium illud inventum sit et quae necessitudo intercedat inter hanc et Alcmaeonis similem fabulam[54]), id perquirere nec volo nec possum. Hoc

---

[51]) Ut in particula Odysseae huc spectantia satis dispersa et occulta incideret poeta, factum est cum in Helena Aegyptia conscribenda elaboraret, quae opera ultro eum in Odysseae δ ducebat. (v. δ 351 sqq.).

[52]) Castratum in scenam produxit Sophocles quoque in Troilo.

[53]) v. nunc de hoc genere Bergk. Lit. Gesch. II 295, 76. Ceterum haud scio an ea Stesichori carmina Hyacinthiorum festo Amyclaeo, scilicet processionibus carpentorum ad Helenae fanum factis (v. Preller. Polemon. fr. p. 133 et maxime 135) facta sint et inde nomen traxerint.

[54]) Tamen moneo in utraque Arsinoae nomen occurrere; illic cognomen est Alphesiboeae, hic nutrix Orestis sic vocatur a Pindaro; utrobique igitur nomen fidelissimae erga heroem mulieris est; neque Leucippi, Castorum soceri, filiam esse Arsinoam ignoratur, quae delubrum habebat in Lacedaemone prope Talthybii monumentum (Paus. III 12, 7).

loco tantum id persequor, Orestis cum Furiis necessitudinem tam antiquam esse, ut verear, ne ea separatim a matricidio spectanda sit, ac fortasse totum matricidium ad illam explicandam a malevolis inventum sit, idque fortasse ad exemplum Alcmaeonis, si quidem et antiquitatem respicio Thebanarum fabularum Troicis tanto maiorem et Furias ibi a matricidio — quamquam id casui tribui potest — nusquam secretas invenio. Euripidis igitur in Electra 1273 (et Oreste) Orestes facinore commisso in Arcadiae meridionalem regionem, Lycaeo propinquam, migrare ibique habitare a dis iubetur. Illic usque ad vitae finem degisse eum dicit Asclepiades. Schol. Or. 1645. Atque hercle cum illius regionis oppido quod est Ὀρέσθειον seu Ὀρεσθάσιον quanta necessitudine connexus sit Orestes, appareret, etiamsi non testaretur Pherecydes Schol. Or. l. c. Refert Pherecydes Orestem ibi quoque a Furiis vexatum ad aram Dianae confugere, quae ne ab illis interimatur, auxilio suo intercedit. Dianae illius loci nomen erat Ἱέρεια. In quo noli de Iphigenia cogitare, quae Dianae sacerdos in fabula Taurica dicitur; cum enim multae personae, non Iphigenia sola, sub sacerdotis nomine numen ipsum occultent, cognomen illud nihil peculiare aut significatione propria dignum contineret, id quod incredibile est. Immo talia deorum cognomina ad religiones ritusque certos quosdam spectare solent. Atque equidem Ἱέρειαν 'Sacrificantem' refero ad humanorum corporum vetustam immolationem, de quo more in istis regionibus diutissime florente supra in adnotatione dictum est (p. 31, 41). Eodem alia ratione ducimur. Regio illa (prope Lycaeum sita) quo mittitur Orestes, Parrhasion vocatur (Or. 1645). Parrhasiae autem veterrimus heros, Lycaon, cruentarum illarum religionum antistes fabulosus, uxorem ducit Ὀρθωσίαν — sic pro corrupta forma quae traditur Ὀρθωνίαν recte conicitur — Schol. Or. 1647. Orthosia autem, hic in heroinae gradum delapsa, nihil aliud est quam Diana nobilissima Spartanorum olim hominum immolationibus culta, unde cruentae caerimoniae remansere, quibus Brauronia sacra adeo respondebant, ut etiam fabula de Oreste Tauricum simulacrum asportante in utroque loco floreret; in quibus ne Iphigeniae quidem fabula negligenda est. Hanc Atridarum cum Diana necessitudinem etiam in Pherecyde deprehendimus, qui auratam ovem (Thyestae) non ut referri solet a Mercurio, sed a Diana in pecudes inici tradit (Schol. Or. 997). Quem connexum suspicor cum ad Atridas pertinere (cf. p. 60, 1) tum maxime ad Thyestae personam,

quem inprimis humani carnis immolatorem esse cognovimus (l. c.), et qui *Θυέστης* ob eandem causam, propter quam Diana illa *Ἱέρεια* vocatur. — Ab altera parte cum Furiis Orestis personam cohaerere videmus. De quo praeter Pherecydis testimonium ad Orestheion spectans fabulam respice quae prope Megalopolim ferebatur de Orestis insania. Habet se quidem ridicule quod illius loci monumentum, *Δακτύλου σῆμα*, ad Orestem ita referebant ut illum furentem praemordisse sibi 'digitum' perhiberent. Sed ineptia dempta gravis est ipsius Orestis mentio, in quam ut inciderent, causa aliqua latet necessarie. Et fuit profecto ibi Furiarum fanum vel potius duo fana, quibus Orestis fabula adhaerebat. Furiae illae dicebantur *Μανίαι* (quod etiam ad locum ipsum translatum erat)[55]), nomine abstracto, ut saepius invenitur in fatalibus deabus velut *Λαχέσεις*, *Κλωθῶες*, *Νεμέσεις*. De antiquitate autem fabularum Orestearum adeo non dubitandum est, ut eas in ista regione, si non traderentur, tantum non exspectaremus. Duae igitur hae Orestis necessitudines, cum Diana et cum Furiis, proxime inter se cohaerent. Nolo hic persequi, quod probari potest, Furiam omnino e Dianae numine fluxisse; sed memorabile est Dianam istam Oresteam id proprii habere, ut furorem iniciat: quod idem de Orthia constat (Paus. III 16, 7) et de Brauronia praedicatur a Sophocle Ai. 172: *ἦ ῥά σε Ταυροπόλα Διὸς Ἄρτεμις κτλ.* (scilicet Tauropolos nomen Brauroniae deae est. Eur. Iph. T. 1455. Strab. 399).

Orestis igitur insania (si insania appellanda est furiosae deae religio) parricidio multo antiquior. Sed cum inter tantam istam vetustatem et Stesichori carmen, quod excultam perfectamque fabulam praebet, spatium maximum intercedat aegre explendum, iam finis facienda est mythologiae. — Certe his oculis aspicienda sunt, quae Euripides in Electra et in Oreste tradit de Orestis in Parrhasiam migratione. In qua Aeschyleam illam fabulam quae erat de Areopagi iudicio, negligere non potuit; praemittit eam aptissime in Electra 1254—72, ita ut Athenis relictis reliquam vitam Orestes in Arcadia degere iubeatur, id quod traditis respondet; multo minus commode rem instituit in Oreste, ubi primo per anni spatium in Arcadiam ille relegatur, ut tum Athenas in iudicium eat; quasi vero Orestes et Hermiona, quam

---

[55]) Pausanias hoc loco, ut multis, quod traditum erat pro sua coniectura vendit.

uxorem ducit (Or. 1654), Athenis pervixerint! Nam etsi in Odyssea Orestes ex Attica venire dicitur, tamen si id voluit poeta, Homeri satis superque ratio habebatur, cum in indicium Atticum ille se contulisse dicebatur. Explicare infelicem commutationem non possum nisi forte inde, quod etiam Arcadiam nactus Orestes a Furiis vexari dicebatur, quod post factum iudicium displicuerit Euripidi. Certe nulli dubitationi obnoxium est, quin in Electra fabulam Peloponnesiam, undecumque hausit, simplicius et rectius rettulerit. Refert eam duobus versibus ante Helenae novam fabulam, Stesichoro debitam, cuius vestigia ut recens perlecti in tota hac fabula nobis sese obtruderunt. Et, puto, hanc fabulam non alii fonti deberi, fere consentaneum est. Tamen priusquam id amplectamur, scrupulum quoddam removeri oportet. Stesichorus enim si scholiastam Orestae v. 46 audimus, Agamemnonis regnum Spartae esse dixerat; quod si, ut non dubitandum, recte se habet[56]), nonne Orestes in ista fabula procul habitaret a patria sede? Sane, sed res se optime explanare videtur. Quid enim, apud Euripidem piaculo illo Orestes adeo maculatus est, ut homines commercium eius fugiant, contagionem etiamque compellationem caveant; quod cum Aeschylus obiter attingat Cho. 283, Euripides planius et certo auctore nisus exhibet: El. 1194. Or. 46. 75. 1605. Iph. T. 951[56a]); in iudicium vocatur a Tyndareo, capitis damnatur, ex patria fugatur, quo exilio ne dei quidem apparentes eum liberant: Quid, si omnia illa in Stesichoro similiter se habuerint? Aeschylus is quidem crimine Orestem liberari finxit nihil de postera eius vita et domo moratus; sed invenit id certis causis permotus alienissimis a Stesichoro; nec omnino iudicio deorum (etiamsi locum aptiorem habuisset) opus erat in illo carmine, habebat enim arcum Orestes ab Apolline receptum (fr. 40 cf. Eur. Or. 268) ad removendas Furias. Possit autem Euripides nihil mutasse quam scenae locum, cum non iam Spartae esset animis aequalium regia Agamemnonis, sed Argis. Spartae matricidium fieri, ibi neminem inveniri qui tantum facinus expiaret, ibi a Tyndareo accusari, a populo condemnari, inde (Apolline fortasse adiuvante) in Parrha-

---

[56]) Consentiunt Simonides, Pindarus; cf. Herod. I, 67. v. Duhn Menel. it. Aeg. VI.

[56a]) Haec igitur causa fuisse videtur exilii, non quod Stesicho tribuit Wilamowitzius p. 224 praemium illud in Oreste trucidando propositum ab Aegistho (El. 33), quod per se quoque scenam potius quam epicum genus redolet.

siam fugere, illic voto Furiis delubro (cf. Eur. El. 1650) quietem tandem recuperare: haec ita Stesichorus quominus enarraverit, plane nihil obstat. Et quo propius haec singula momenta inter se cohaerent, eo magis apparet, Stesichoro, qui hic illic diserte in Orestis scholiis citatur, in hisce rebus auctore usum esse Euripidem, nullo praeter Aeschylum et γ 311 alio fonte admixto.

Addo his singula pauca, velut suspicionem Roberti Oeacem Palamedis (cf. Stesich. fr. 34 Bergk.[4]) fratris ulciscendi causa cum Aegistho contra Orestem stetisse conicientis, ad cuius disputationem p. 182 sqq. relego, cum ipse quo dubiae rei lumen inferam nihil habeam. — Tum illud, quod Euripides semper tres numero Furias dicit Tro. 457. Or. 408. 1650 (cf. Iph. T. 285 sqq.), vulgari earum religioni respondens, cum Aeschylus ut chori partes iis tribueret traditum numerum auxisset, sicut imminuerat traditum in Danaidibus[57]). — Quod Euripides narrat Iph. T. 951 hospites Orestis, ne ceteri convivae ex codem cratere cum inquinato haurientes contagio macularentur nec tamen ille seclusus laederetur, omnibus convivis singula pocula plena proposuisse: id tamquam *μηχάνημα* a Pandione inventum refertur in scholiis Aristoph. Ach. 961. Equ. 95 ita ut nomen *Χόες* festi inde derivetur; sed tota historiola ex Orestis fabula, quae etiam nominatim respicitur, deducta est, nec profecto res ipsa, utpote simplissima atque ex festi agrestis more nata, explicatione mythologica indigebat, nisi opinione eorum, qui de festis et ritibus libros conderent atque cuiusvis rei *αἴτιον* afferre studerent.

III.

1. In limine extremae Euripidis aetatis, cuius intra fines tota haec disputatio versatur, Troica illa trilogia posita est (Alexander-Palamedes-Troades), quae iam consilium indicat poetae Troici cycli fabulis novam operam navaturi. Quodsi nulla in Troadibus vestigia leguntur eorum carminum, quae in sequentibus fabulis adhibuit, id nullo modo obstat, quominus in hac tragoedia Iliupersidem eiusdem poetae respexerit atque adeo fortasse in hanc primum in-

[57]) Euripides ipse in prima tragoedia sua, Eumenidum exemplum, uno triennio praecedens, secutus esse videtur, cf. Ovid. Trist. V, 5, 55: ‚cum Pelia genitae tot sint, cur nobilis una est?‘ alii testes omnes exiguum Peliadum numerum, intra duas et quinque constantem, exhibent (v. Robert. Arch. Ztg. 1874 p. 136, 11); etiam proximo versu ad tragoediam Euripideam (Protesilaum) spectat Ovidius.

cidens ad alia illius carmina exprimenda animum adduxerit. Et in Stesichori quidem Iliuperside comparandam se praebet tabula Iliaca totam illam exprimere se professa; sed quam ambigui pretii id sit auxilium, inter omnes constat. Sunt enim non modo res Latinae Graecis admixtae, ut Camillus in Polyxenae immolatione praesens, Penates [57a]) Aeneae, fortasse etiam Misenus, sed ne cetera quidem cum Stesichori reliquiis aliunde cognitis ita conveniunt, ut non aut ex aliis poetis (vel scriptoribus) huc inserta quaedam esse primo aspectu videantur, ut fanum Veneris ex Ibyco (fr. 35 Bergk.), Neoptolemus Polyxenae mactator ex Iliade parva vel ex Ibyco (schol. Eur. Or. 41. Ib. fr. 36), aut testimonia ipsa, unde reliquiae illae petantur, parum accurata esse ducantur. Verum tamen fanum Veneris, quo fugit Helena, suspicari possis cum Roberto (l. c. p. 78) iam apud Stesichorum locum habuisse salva narratione illa de militibus Helenae formositate delenitis; haec enim solum ad milites spectat, qui forsitan Helenam ut in Brygi pictura vascularia e domo in publicum fugientem primi conspexerint et in eam concurrerint, illud autem ad Menelaum solum uxore (a militibus capta) potitum. Sic tabula possit cum scriptis concinnari, in quo tantum modo id obscurum remanet, quomodo Menelaus cum uxore egerit ante delubrum consistens; nisi quod in tabula ille Helenam collapsam coma rapit gladium ei intentans. Id autem diserte et pluribus locis notatur ab Euripide, eoque uno, quem omnino omisit O. Jahnius (Bilderchron. p. 34), Hel. 115:

— ἦ καὶ γυναῖκα Σπαρτιᾶτιν εἵλετε;
— Μενέλαος αὐτὴν ἦγ' ἐπισπάσας κόμης.

et ibidem 116, ubi loquitur Menelaus:

Ἑλένη τε, Τροίας ἣν ἀποσπάσας ἔχω.

Similem in modum Menelaus Tro. 882 servis imperat illam adducere *κόμης ἀποσπάσαντες.* Memorabilis hic Euripides cum Stesichoro picto concentus. Sed recuperatio Helenae quomodo se habet in Iliuperside Euripidea? Praesto est responsum; certam enim neque fictam ab ipso fabulam exhibet hanc Tro. 901; ubi Menelaus ad Helenam:

οὐκ εἰς ἀκριβὲς ἦλθες, ἀλλ' ἅπας στρατὸς
κτανεῖν ἐμοί σ' ἔδωκεν, ὅνπερ ἠδίκεις,

[57a]) Jahnius ille quidem non Penates sed alia quaedam sacra Graecanici potius generis significari contendit.

et 871 idem de uxore capta:

δόμοις γὰρ τοῖς δ' ἐν αἰχμαλωτικοῖς
κατηρίθμηται Τρῳάδων ἄλλων μετά.
οἵπερ γὰρ αὐτὴν ἐξεμόχθησαν δορί,
κτανεῖν ἐμοί νιν ἔδοσαν, εἴτε μὴ κτανὼν
θέλοιμ' ἄγεσθαι πάλιν ἐς Ἀργείων χθόνα.

Fingere id etsi voluisset poeta, non opus fuisset; nam ut captiva, fato famaque obruta ante Menelaum victorem in scaenam produceretur — quod voluit ille —, id eadem commoditate institui poterat, si propria manu eam Menelaus cepisset et in domo cum ceteris captivis inclusam nunc produci iuberet. Nec non ipse verborum color (v. 873—901) indicare videtur tradita referre Euripidem. Vides haec egregie concinere cum ea Stesichori fabula quae tabula Iliaca et scripto testimonio conflatis evadere videbatur. Atque etsi duplicem hunc cum Stesichoro concentum Euripidis non levi te pensurum spero, tamen gravius etiam argumentum restat. Constat in Stesichori carmine milites infestos in Helenam incurrere non armis, ut consentaneum fuerit, instructos sed lapidibus, quos ille statim corporis nobilissimi deliciis permulcti amittunt. Habes autem in Troadibus milites ad lapidationem paratos v. 1039:

βαῖνε λευστήρων πέλας
πόνους τ' Ἀχαιῶν ἀπόδος ἐν μικρῷ μακροὺς
θανοῦσ', ἵν' εἰδῇς κτλ[58]).

His verbis Menelaus militibus Helenam redditurus (quod quidem consilium mox commutat) significat, primo ad lapidationem illos paratos fuisse, tum mente mutata aliquo modo — scimus qua causa commotos — perfidam uxorem sibi (marito) ad quamlibet poenam tradidisse. Perspecto hoc optimo rerum contextu et undique concluso tantummodo quaerendum relinquitur, quid in carmine fecerit Menelaus uxori modo recuperatae. Crinibus, ut videbamus, rapit eam infestus gladium intentans tanquam trucidaturus. Vereor ne inde tibi vix ad alium eventum perveniri posse videatur, quam, quem Ilias parva narravit (v. Robert l. c. p. 77), ut sinu for-

---

[58]) eodem alludit Or. 59. Hunc locum collato Hel. 102 (*δέδοικα πατέρας τῶν ὑπ' Ἰλίῳ νεκρῶν*) cum premeret, graves Troadum versus praetermitteret, falsus est Hoff. de myth. Hel. Eur. p. 24, ita ut fragmen illud (de lapidatione) non ad Iliupersidem sed ad Orestiam referret.

mosissimae mulieris conspecto maritus animo deleniatur: sed sic iterasse unum atque idem momentum a Lesche acceptum, ut id semel in exercitu semel in Menelao adhibeatur (de qua iteratione vero cogitavit Iahnius!), id tardum est prorsusque indignum Himeraeo poeta; obstat etiam disertum testimonium scholiastae Or. 1287 (Stesich. fr. *25 Bergk.[4]) tantummodo de exercitu loquentis. Res inde pendet, quod parum dilucidum est in tabula, sitne iam collapsa Helena, an ita summisso propter timorem corpore, ut tamen paucis istis ad fanum passibus factis se possit salvare; quod si contigerit, iam non opus est lenociniis. Et sic profecto Stesichorus rem instituisse videtur. — His illud, quod addidisse audimus Ibycum, commode se adaptabat: sprevit ille Leschae vulgarem de corporis irritamentis fabulam (quam respicit etiam Euripides Androm. 629. Tro. 891.): *ἄμεινον ᾠκονόμηται τὰ περὶ Ἴβυκον· εἰς γὰρ Ἀφροδίτης ναὸν καταλύει ἡ Ἑλένη, κἀκεῖθεν διαλέγεται τῷ Μενελάῳ, ὁ δ' ὑπ' ἔρωτος ἀφίησι τὸ ξίφος.* (v. Ibyc. fr. 35. Bgk."). Iterum haec[59]) excripsi, quod ad Euripidis mythopoeiam dignoscendam momenti non nullius sunt. Sprevit igitur Ibycus subitam illam parumque elegantem animi mutationem rem ita potius instituens, ut paullatim (*καταλύει*!) mora et sermone intercedente ac pristinae familiaritatis amorisque memoria prorepente infestus mariti animus deleniretur. Iam si ad tragicos te convertis, Menelaum et Helenam modo captam num primus Euripides in scenam produxerit, sciri id quidem non potest, etsi unum drama quod nomine tradito (Argum. Soph. Ai.) olim huc referebatur, *Ἑλένης ἁρπαγή*, Sophocli adscriptum longe aliter se habere videtur. Vide tamen quantis ambagibus usus Euripides istum tam consentaneum coniugum sermonem instituerit Tro. 898:

ΕΛ. *ἀτὰρ σχεδὸν μὲν οἶδά σοι στυγουμένη,*
ὅμως δ' ἐρέσθαι βούλομαι γνῶμαι τίνες
Ἕλλησι καὶ σοὶ τῆς ἐμῆς ψυχῆς πέρι;
ΜΕ. *οὐκ εἰς ἀκριβὲς ἦλθες, ἀλλ' κτλ.* vide supra (p. 45)
ΕΛ. *ἔξεστιν οὖν πρὸς ταῦτ' ἀμείψασθαι λόγῳ,*
ὡς οὐ δικαίως, ἢν θάνω, θανούμεθα;
ΜΕ. *οὐκ εἰς λόγους ἐλήλυθ' ἀλλά σε κτενῶν.*

---

59) quae iam attulit Robert. p. 76, a quo nostra scholii interpretati o paullum discedit.

Tum suadente Hecuba, quae adest, Menelao, sermonem inire (906—910), hic:

ME. σχολῆς τὸ δῶρον· εἰ δὲ βούλεται λέγειν,
ἔξεστι. τῶν σῶν δ' οὕνεχ', ὡς μάθῃ, λόγων (ad Hecubam)
δώσω τόδ' αὐτῇ, τῆςδε δ' οὐ δώσω χάριν.
ΕΛ. ἴσως με, κἂν εὖ κἂν κακῶς δόξω λέγειν,
οὐκ ἀνταμείψει πολεμίαν ἡγούμενος.
ἐγὼ δ', ἅ σ' οἶμαι διὰ λόγων ἰόντ' ἐμοῦ
κατηγορήσειν, ἀντιθεῖσ' ἀμείψομαι κτλ.

Haec si Ibyci auctoritati tribuo, haud vereor, ne nimis occupatum studio auctorum Euripidis indagandorum falli me dicas; immo connexus tam manifestus est et ambages istae tam non necessariae sunt huic sermoni, qui dempto Ibyci exemplo statim per convicia in vicem iacta more maxime tragico iniri poterat, ut tantum dolendum sit, non plura huius poetae vestigia in Euripide legi. Monendum etiam, sermonem illum apud Ibycum vix ab aliis rebus incepisse quam Euripideum, scilicet a deprecatione muliebri mortis instantis. Euripides ita modo rem paullulum commutans scenae adaptavit, ut interponeret tertiam personam per se levissimam hoc loco, sed ad quam mediam, ut fit in incipiente altercatione, verba sua ad alteram tendentia ille dirigere posset. Nimirum auctoritati Ibyci minime obstat, quod alias — fortasse notitia nostra deficiente — Ibyceum nihil in Euripide invenimus[60]). Nam quod de Polyxenae morte schol. Hecub. 41 traditur: ὑπὸ Νεοπτολέμου φασὶν αὐτὴν σφαγιασθῆναι Εὐριπίδης καὶ Ἴβυκος, modo conferas schol. Arist. Vesp. 711, ubi de alia quadam re item dicitur: ἡ ἱστορία παρὰ Ἰβύκῳ καὶ Εὐριπίδῃ quamquam alio testimonio eandem iam in Iliade parva fuisse constat[61]).

---

[60]) Hic sermo repraesentari videtur in vasuclo liberioris artis (R. Rochette Mon. in. pl. 66. Arch. Ztg. 1848 Tab. 15, 1, Overbeck. Her. Gal. Tab. XXVI, 17), ubi in ara Palladio munita, quam a sinistra parte Cassandra refuga cepit libatorio appicto et persequentis vulgatissima figura cognitu facilior, mulier sedet ornata et formosa, quae cum viro imberbi a dextra parte veniente et gressum sustinente colloquitur; in quo memorabile, alteram illius mammam, viro adversam, praeter consuetudinem nudatam esse, (non alteram quoque, ut in Overbeckii tabula videtur, cui ipsa lineamenta obstrepunt), invenem ipsum autem, nisi fallor, gladium amisisse; certe in vagina ansam desidero: confusas habes Ibyci et Leschae versiones.

[61]) v. Robert. l. c. p. 77.

2. De Ilii excidio Euripides praeterea cantica duo habet inter se maxime cognata, alterum in Troadibus ipsis 511 sqq., alterum in prioris aetatis tragoedia, Hecuba 905 sqq. In utraque equi lignei insidiae, Troianorum post festum cantusque modo coepta quies, nocturnus terror hostium irrumpentium et per urbem grassantium depinguntur. Haec vulgata epicis carminibus. Unum autem prorsus novum et singulare occurrit: Dianae mentio tamquam summae deae a Troianis cultae. In Hecuba chorus mulierum Troicarum queritur 933:

λέχη δὲ φίλια μονόπεπλος[62])
λιποῦσα, Δωρὶς ὡς κόρα,
σεμνὰν προςίζουσ'
οὐκ ἤνυσ' Ἄρτεμιν ἁ τλάμων.

Confugiunt ergo mulieres hostibus irrumpentibus ad Dianae signum, sicut ceteroquin ad Minervae. Item Tro. 551 de festo paullo ante celebrato:

ἐγὼ δὲ τὰν ὀρεστέραν
τότ' ἀμφὶ μέλαθρα παρθένον
Διὸς κόραν ἐμελπόμαν
χοροῖσι· φοινία δ' ἀνὰ
πτόλιν βοὰ κατεῖχε Περ-
γάμων ἕδρας· βρέφη δὲ φίλι-
α περὶ πέπλους ἔβαλλε μα-
τρὶ χεῖρας ἐπτοημένας·
λόχου δ' ἐξέβαιν' Ἄρης,
κόρας ἔργα Παλλάδος.

Haec et in laetis et in adversis rebus aequa Dianae religio ostendit vel certe probabile reddit, non fortuito illius mentionem incidere, neque unice ex Atheniensi religione, ubi Diana maxime rebus muliebribus praeerat, esse repetendam, sed in eo auctore quem utrobique sequitur Euripides, a Diana primum illum Troianae religionis locum teneri, quem Homerus ceterique epici, qui quidem monumentis exprimuntur, Minervae assignant. Apparet hic eadem numinum ambiguitas atque in Chryse affinis loci dea, quae nunc Minerva, nunc Diana a veteribus appellatur. Et huic quidem quin Dianae nomen conveniat, dubium non est, id quod cum alia ratio tum signum eius in vasculis polo et arcu instructum demonstrat[63]). Dominatur

[62]) bene huc facit vasculum a Brygo pictum, ubi Andromacha sic vestita domum defendit. cf. Robert. Bild u. L. p. 63.

[63]) errat Welcker. Götterl. I, 308.

autem huius numinis religio in tota illa Troadis regione; nempe Chryses, Apollinis ipsius perspicua persona, nihil aliud est quam Chrysae frater. Ut vero alterius numen antiquior natura iam Homeri temporibus evanida et recentiore religione, Minervae, obliterata erat[64]), ita de altero, Apolline, Troiae tutore, certissimam memoriam servavit Homerus. Cuius memoriae insigne documentum exstat apud Stesichorum, cui Hector Apollinis filius est (fr. 69), quod idem refert cognatissimus illi Ibycus (fr. 34 A). Neque Cycnus gigas ille, qui Graecis in illas oras naves appellentibus primus se opponit, alius est, quam deformata veterioris dei illic culti et in gigantum genus delapsa persona, id quod ad omnes viros pertinet „Cycnus“ nominatos, etsi apparet tantum in Phaethonteo. Nempe agitur de veteriore Apollinis forma, de Solis religione. Quare ne de illo quidem Cycno Pagasaeo Apollineis sacris infesto aliter iudicandum est; idem de Tenne Tenedio, Cycni filio, aliis causis probari potest. Eodem ducimur Ilei vel Oilei Locrensis fabulam comparando. Cuius stirps et nomine et sacris etiam posteriore aetate Troiam missis generis cognatam originem profitetur. Ileus fuit ab Apolline creatus et Troico quidem (Hesiod. fr. 137 Kink.). — Quodsi obstare his videtur fabula illa pervulgata de Neptuni cum Apolline communi opera muris Troicis exstruendis navata: aspice, quam debilis sit Neptuni Troiae faventis et muri illius mentio in exitu libri Homerici *Π* (445), quae cum Apollinis gravissimo auxilio Troiae sua manu allato et cum infesto in Graecos animo illius pesti et cladibus eos vexantis nullo modo conferri potest. Omnino fabula illa Laomedontea tam prope cum Hesiona et Herculis mythologia principio cohaerere videtur, ut vel inde de recentiore origine iudicari possit. Si quid antiquius quaeris de Laomedonte, praeter vitem illi a Baccho datam fabulam respice de servitio Apollinis pecudes — nam talia conveniunt Idae — Laomedonteas pascentis (*Φ* 443); sed hic quoque habes Apollinem. Idem ratio docet a contraria parte profecta. Equum inventum et attributum esse Neptuni veteres fabulae et hodierni mythologi clamant; unum tan-

[64]) item ex Solis sorore fluxisse videtur Corinthi Minerva *Χαλινῖτις* Bellerophontea, in notissimo vasculo (O. Jahn. Arch. Beitr. Taf. V) polo ornata; confluxerunt, ni fallor, Minerva *Ἱππία* et soror illius in equo solario vehentis. Lucis numina saepe habes equitantia, Solem Eur. Jon. 41, Diem Aesch. Pers. 384. Soph. Ai. 673, Luciferum Eur. fr. 999, Lunam in notissimis monumentis, Hecatam in nummis et Soph. fr. 490, 3, Auroram Eur. Or. 1004 eamque in Pegaso ipso vehentem Lycophr. 17.

tummodo equum, clarissimum omnium, excipiunt, Troianum illum, nimirum fabula Laomedontis decepti. Quid autem, num vero Minerva *Ἐργάνη*, principio femineae industriae antistes (Hom. I 390), Athenis opificum patrona, num vero haec fuit, qui tantum illud opus, totius regni perniciem exstruxit? Hoc qui profiteretur, ei Epeus necessarie superator Troiae esset dicendus. Immo antiquissimam Minervae cum Neptuno necessitudinem — unde *Ἱππία* cognomen — in plurimis locis manifestam nisi in hoc gravissimo loco neglexissent plerique, non, puto, frustra adhuc laborarent in monstro Troiano explicando[65]). Atque hercle si post tot annorum pugnas, sudores, clades frustratas ligneo illo artificio Pergama capiuntur et in ruinam trahuntur: aut id ridiculum est — et vero de facetia populari cogitavit Müllenhoffius[66]) — aut res augusta ac divina, qualem nunc esse apparet. Ac ne fallamur, illam famam consulamus antiquam nullisque poetarum inventis auctam vel deformatam alterius Iliacae gentis, Ollei fabulam dico: nullus facile invenitur tam acerrimus Minervae hostis atque contemptor, nemo heroum tam funditus deperditur ab illa, quam Aiax Ilei filius Apollineus; et in hac profecto fabula Neptunum suo loco invenimus, cum Minerva in illius exitium coniunctum.

Sic ergo sentiendum est de diis Troianis. Apollo fuere et Diana. Famam igitur servavit admodum bonam et antiquam ille, quo auctore Euripides Dianam (in canticis Troadum et Hecubae). Troicarum mulierum deam dixit; atque nunc iterum si legimus cantici Troadum versus quos exscripsi, iam fere consulto Palladem poeta sic Dianae opposuisse videtur; quod quidem pro certo vendere non ausim. Nec tamen fortuito evenerit, quod idem Euripides, unus quantum video inter Posthomericos, Troiam Apollineam vocare solet, idque in extrema hac aetate. Hel. 1511 *Ἰλίου Φοιβείους ἐπὶ πύργους*. Or. 1388 *περγάμων Ἀπολλωνίων*. Iph. A. 756. *Τροίας Φοιβήιον δάπεδον*; memorabile igitur erit, si in qua prioris temporis tragoedia Neptunum praeter Apollinem commemorare videbitur: quod fit in Andromacha 1009. Atque quoniam Iliupersidis Stesichoreae certissima in Troadibus deteximus vestigia, animus in eandem regionem nec sine iure aliquo inclinabit. Accedit, quod supra intelleximus, inimicitiam Dianae ita nuntiari Atridis et quodammodo Orestiae toti praescribi ab Aeschylo,

[65]) veteriores opiniones composuit Welcker. Ep. Cycl. II 6, 3.

[66]) Deutsche Alterthumsk. I, 29.

ut ne Iphigeniae quidem immolatione eam placari, sed post Troicum bellum prospere actum rursus graviusque in Atridarum domum incubituram esse praesagiatur; addidit illis Aeschylus Apollinis Paeanis invocationem quae, nec ad Iphiginiae immolationem, in qua versatur tota parodus, apte refertur nec vulgari et obtrita cum Diana necessitudine satis explicatur[66a]); haudscio an lateat altior causa, Apollinis et Dianae in Troiae hostes communis controversia. Et quidquid de Aeschylo statuis, certe non defuerit haec ratio in eo Euripidis auctore, qui Hectorem Apollinis filium esse nondum ignoravit.

3. Finem facit Iliupersidis Astyanactis mors. Hunc epici ut puerum iam paullo maiorem natu inducunt, si quidem vasa quinti saeculi, praecipue Brygi nobile opus, et Sophoclis Captivas comparamus. Nam quod Sophoclem attinet, Accius imitator utramque illius tragoediam ad Graecorum *ἀπόπλουν* spectantem expressit, Polyxenam in Troadibus, quod certissime fragmenta evincunt[67]), et Captivas in Astyanacte. Huius hypothesin recte agnoverunt in Servio ad Aen. III 489 (cui respondet Seneca in Troadibus), quacum concinunt fragmenta cum Sophoclea, in quibus praeter Iliupersidis vestigia 31, 32, 34, (35), (41)[67a]) dignoscitur sacrificulus mala auguria renuntians 39, et dux convicia in illum coniciens 56 (cf. Accii fr. IV (8)[68]), tum Accianae reliquiae. Occultaverat enim mater puerum, quem deinde, cum vela ad reditum daturis auguria adversa fierent, indagandum et necandum vate auctore[69]) existimabant. Fuisse tale aliquid iam in epicis carminibus videtur, in Brygi certe nobilissima Iliupersidis pictura Astyanax puer non, quod fieri poterat, sese occulit anxie vel ut Helena illa misere de salute despe-

---

[66a]) Ea ratio vasculorum potius interpretationi convenerit, in quibus, quae quidem quinti saeculi sunt, nonnusquam praeter Apollinem Diana pingitur Troianis auxilium ferens.

[67]) v. Ribb. Röm. Tragödie p. 418. cf Leo De Sen. trag. observv. critt. p. 172.

[67a]) vereor ne fr. 41, ubi *πατὴρ δ' ὑπεκδὺς* propono *ἀμφίλῑνα* verbo conservato, Priamus dicatur hostium impetum fugiens, ita ut forsitan cum hoc versu coniungendum sit fr. 35.

[68]) Odit omnino Sophocles auguria: Ai. 1418. O. R. 500; *καὶ μάντις οὐδεὶς τῶν ἐφεστότων βροτοῖς* legitur in Antigona; quartus quem animo notavi locus in Philocteta est.

[69]) Nonne Virgilius versus Aen. II 116—118 a Sophocle, quem tum forte de Laocoonte adierit ita mutuatus sit, ut de suo adderet 'Argolica'?

rans trepidat, neque pro viribus ut mater hostes impugnat, sed longo saltu tumultum effugit, ita ut postea hostibus requirendus sit. Huc maxime faciunt Accii fr. X (1) et XI (9), in quibus quaeritur et refertur, quo loco et modo puerum deprehendere contigerit; vide XI:

Hic per matutinum lumen tardo procedens gradu
Derepente aspicio ex nemore pavidum et properantem egredi.

Accedit Sophoclis fr. 38, ubi puerum Hectoris viriliter agentem videmus [70]). Exposui haec, quod res contraria est in Euripidis Troadibus; ubi Astyanax non puer est loquens et agens ut Menoeceus in Phoenissis, Maeon in Antigona [71], sed infans in sinu matris conditum (570), quod per manus datur (ab illa Talthybio). Qua in re Euripides moveri poterat si non imagine Polygnoti [72]), qui cum Stesichoro in non nullis rebus concinisse videtur (Paus. X 26, 1 et 3) tamen ipsa poesi Stesichorea. Cuius inter fragmenta verba obvia fiunt (fr. 76) *ἀνίψαλον παῖδα*, quibus, si res perlustras a Stesichoro tractatas, vix alium locum indagaveris quam Iliupersidem; commemoraverat enim mortem Astyanactis Stesichorus (fr. 20); *ἀνίψαλον παῖδα* ille dixit fere ut Euripides v. 765

τί τόνδε παῖδα κτείνετ' οὐδὲν αἴτιον;

Quamquam de Stesichoro legimus: *ἱστορεῖ* (*ἱστορεῖν* Cobet) *ὅτι τεθνήκοι* (*ὁ Ἀστύαναξ*), *καὶ τὸν τὴν Ἰλίου πέρσιδα συντεταχότα κυκλικὸν ποιητήν, ὅτι καὶ ἀπὸ τοῦ τείχους ῥιφείη*, Euripides contra Leschem secutus est. Sed facile concedes crudum illud genus internecionis a Lesche narratum ab iis inventum esse, qui puerum sibi fingerent haud ita parvum, minus id convenire infanti, quod in hominum rerumque tumultu et collisione facile interibat, sicut voluit Stesichorus. Quare haud arbitrio uti mihi videor si duas versiones Euripidem commiscuisse autumo, cum et infantem induceret, cuius ad obitum levissima offensa sufficiebat (scenae ea quidem inepta), et per ambages illas necari id faceret.

Item non seduli agere videbimur, si monstramus saltem in Hecubae cantico, a Stesichori ut putabamus imitatione haud vacuo,

---

[70]) Forsitan cum se defenderet unum militum captantium interfecerit; quam ad puerilem defensionem etiam fr. 33 rettuleris aptius certe quam ad proelii vicissitudines, quibus recolendis in hoc dramate non iam locus satis idoneus fuerit; puer igitur gloriari videtur.

[71]) v. infra p. 73 sqq.

[72]) Paus. X 25, 4. *γέγραπται μὲν Ἀνδρομάχη, καὶ ὁ παῖς οἱ προέστηκεν ἑλόμενος τοῦ μαστοῦ.*

verbum quod est *μεσονύκτιος* v. 914, (etiam in Pindaro obvium) memorabile in hoc cantico, quod non modo eodem noctis tempore res in Stesichoro perpetrabatur, (quod cum Iliade parva commune habebat), sed verbi quoque forma aliquatenus conspirat si quidem recte *μεσόνυξ* fr. 87 huc refero.

4. Et hoc quidem incertius. Nihilominus — quae etiam incertiora sunt — quaeri oportet, nonne ut in Troadibus item in reliquis illius trilogiae tragoediis, Alexandro et Palamede, aliquo modo adhibuerit nobilem Himeraei poesin. Et de Palamede quidem quem ille commemoraverat (fr. 34) nihil quod huc faciat eruere contigit. De Alexandro autem suspicionem saltem proferre licet. Agitur, ut statim confitear, de taeda illa perniciosa, similitudine Paridis, quam Hecuba gravida peperisse sibi in somno videbatur. Quam fabulam Robertus Bild u. L. 233 sqq. quibusdam causis commotus (de quibus mox dicam) a Sophocle potius quam ab Euripide primum prolatam esse coniecit. Quod si recte se habet, Alexander Sophoclea saltem ante Inonem Euripidis (actam ante 425) in scenam prodiisse videtur. Etenim schol. Hom. *Γ* 325 de Hecubae insomnio haec exhibet: ... *δαλὸν τίκτειν, ὅστις κατέφλεξε πᾶσαν τήν τε πόλιν καὶ τὴν ἐν τῇ Ἴδῃ ὕλην.* Qua in re etsi Apollodorus III 12, 4 brevitatis causa Idae mentionem quamvis aptam omisit, Dictys III 26, quem Schwartzius (de scholl. Hom. p. 459) fontem statuit scholiastae, in Ida plus momenti ponit: ‘Idam ac mox continuante flamma deorum delubra concremari’ etc. Haec imago Euripidis animo obversabatur cum verba scriberet (Ino fr. 415):

μικροῦ γὰρ ἐκ λαμπτῆρος Ἰδαῖον λέπας
πρήσειεν ἄν τις.

Cur Idam nominat? quidni e. gr. Cithaeronem, qui in Inonis fabula tanto propius se offerebat; atque usu venit ut *Κιθαιρῶνος λέπας* et in Aeschylo Ag. 285 et in Euripidis extrema aetate (fortasse ad illius exemplum) Phoen. 24. Bacch. 751. 1045 occurrat. Quamobrem ante 425 tempus haberet Alexander Sophoclis, si inde Euripides fabulam illam desumpsit. At id quaerendum est. Et quatenus de similitudine agitur quae inter Paridis iuventutem et Cyri Herodotei intercedit, Robertus, ni fallor, ipse nunc ita aliter sentit, ut ex communi Asianae gentis memoria nullo intercedente Herodoto potuisse fluere fabulam illam concedat. Hoc

posito Sophoclis auctoritas, quae pendet ab Herodotea, omittenda erit. — Sed statuit Robertus discrepantiam inter narrationes quas de Paridis iuventitute exhibet Euripides, alteram in Andromacha v. 293—300 et alteram in Troica trilogia, scilicet in Alexandro et Troadibus v. 919 sqq., (quibus addi potest comparanda Iphig. Aulid. 1284 sqq.), ita quidem ut in Andromacha veterior aliqua fama respiciatur, in qua pastorale illud in Ida domicilium nondum regia prole indignum putaretur et ad infantis expositionem reduceretur, sed omnino ex communi Troicorum principum vita et more esset, quam vitam pastoralem exemplis Homericis (quibus adde Laomedontem *Z* 25) Robertus illustravit. Cuius fabulae fontem Cypria dicit, postquam facis ardentis fabulam et Paridis expositionem arbitrio Welckeri in Cypria intrudi docuit. Discrepantiam autem in eo esse iudicavit, quod in Andromachae cantico frustra suasisse dicitur Cassandra ut infans necaretur, cum tamen expositio ipsa quae libuit parentibus nihil aliud velit, quam interitum infantis[73]); in Andromacha igitur non intelligi expositionem. At ut quid sentiam sincere confitear, contextus cantici istius non ita comparatus est, ut diversam a vulgari fabulam dispiciam. Utinam, inquit chorus indignans de infortuniae suae auctore, utinam eo usque crudelitatis processissent, ut non per ambages, expositione usi, sed statim manu interfecissent infans importunum; nam expositio illa — praeter exspectationem — non suffecit ad exstingendam fatalem stirpem. Confirmor in hac sententia verbis ipsis poetae 281:

βοτῆρά τ' ἀμφὶ μονότροπον νεανίαν
ἔρημόν θ' ἑστιοῦχον αὐλάν,

quae in eodem cantico leguntur; in quibus tam manifeste signifi-

[73]) cf. schol. Hom. *Γ* 325 (iterum locupletius quam Apollodor.): *τοῦτο τὸ ἐνύπνιον ἀκούσαντες οἱ μάντεις καὶ οἱ περὶ τοὺς ὀνείρους δεινοὶ εἶπον τὸ τεχθὲν παιδίον εὐθέως μικρόν ὂν ῥιφῆναι θηρσὶ βοράν.* (Scilicet Ida mons bestiarum multitudine insignis; cf. praeter Homerum Soph. fr. 467. H. hymn. Vener. 68—72). Haec ex hypothesi sunt, si modo quae proxime sequuntur pasturis illum educantis partes in tragoedia potius quam in epico carmine necessariae sunt ad recognitionem. Etiam in Iphigeniae Aulidensis cantico perspici potest vel potius discerte dicitur, id consilium fuisse exponentium, ut infans interiret:

Πρίαμος ἵθι ποτὲ βρέφος ἁπαλὸν ἔβαλε
ματρὸς ἀποπρὸ νοσφίσας
ἐπὶ μόρῳ θανατόεντι
Πάριν.

catur solitudo invenis ab hominum commercio seclusi, ut valde mirandum sit, si ita communis principum Troicorum victus describatur, nec potius rara et singularis quaedam condicio. Docemur autem vv. 294 sq., Cassandram alia et veriora suasisse, quam vulgus augurum, qui et plus apud homines fidei et minus spiritus Apollinei habebant. Quamobrem uno atque eodem fonte Euripidem ubique uti censeamus oportet.

Sed qui fuit ille? Et de Cypriis quidem cogitare post Roberti disputationem non iam licet; fabula enim de face illa tam portentosa tamque singularis est, ut eam Proclus haud facile praetermiserit. Tamen in epicis carminibu alicubi fuisse ea putanda esset, si in Andromacha aut alia ulla tragoedia trilogiam praecedente breviter eam attigisset poeta, quod facere non potuisset, nisi in vulgari populi lectione ea occurrisset. At nullo verbo, ne in Andromacha quidem, facis fabulam commemoravit excepta ipsa Troadum tragoedia, ubi brevis mentio sufficiebat, postquam in principio eiusdem trilogiae res erat copiosius tractata. Omne igitur momentum in eum fontem incumbit, unde in hac trilogia praecipue hausit poeta. Non quo facis fabulam ab expositione infantis secerni velim, quamquam id quoque cogitari potest; sed auctorem iam antea notum et obiter adhibitum in trilogia illa accuratius Euripides consuluisse potest, sicut Stesichorea nonnulla iam prius (velut Dianam Troicam in Hecuba) inspersisse videtur etsi extrema demum vitae suae aetate diligentius illius carmina adhibuit. Num igitur etiam in hac causa ad Stesichorum ducimur? Ignoro equidem. Atque cum in hoc ffodendorum fontium negotio superior terra nos destituat, in altiora penetrari oportet. Iam si quid simile facis illius circumspexeris, rem prorsus cognatam praebet Aetolia, scilicet titionem illum ardentem, quocum cohaeret vita Meleagri, quae fax a matre fota item similitudo est nati ipsius; id etiam dilucidius fit altera versione, qua ramum olivae Althaea una cum Meleagro peperisse dicitur (v. infra). Quae fabulae quatenus connexae sint cum opinione late patente de origine generis humani e „duro robore nati" [74]), quo etiam *Ὄ-ξυλος* pertinet Aetolium nomen cum *Ὀ-ιλεύς* conferendum et ab Hesychio *ἰσόξυλος* explicatum, id hoc loco non persequor. Tantum quaero quo modo haec Troiam venerint. Tota res in Bracchi cultu tamquam in cardine vertitur. Namque fabulam ab

[74]) v. Schoemann Op. II. p. 125—138. Preller. Ausgew. Aufs. p. 177 sqq.

Hecataeo narratam respicias quae est de Oresthei Locrensis cane, e qua dicitur lignum natum esse, et stirps quidem vitis. Quae fabula quatenus Orestheus in Aetoliam migravit, cum Meleagri natu cohaeret atque in Amyclaea memoria Aetoliae cognata (cf. p. 28) resonat nomine *Κυνόρτας*, quatenus autem arbor inde oritur, item cum Meleagro coniuncta est, quippe cuius natus ita quoque perhiberetur, ut ramum frondosum (olivae) Althaea peperisse diceretur. Tzetz. Lycophr. 492[75]. Eo accedit vitis illa quam Bacchus Oeneo dicitur donavisse. Et haec fabula Troiam nos transducit, ubi Laomedon aurea vite condonatur. Dixeris idem donum Hypsipylae filios reportasse. Quare alia spectemus, quae eodem ducunt. Gens enim, unde vitis illa Oresthea deducitur, Locrensis est; quo felicius rem cadere vix posse concedes, nam ea gens est Iliaca, scilicet Ilei vel Oilei[76]; (in quo Stesichorum fere ipsum natione Locrensem fuisse memineris). Ab altera parte Amyclaea memoria huc incidit, cum et Icarius, Bacchicam necessitudinem nomine ipso prae se ferens, et frater Tyndareus maxime Aetoliae propinqui sint, et Cynortae nomen fabulam repetat Orestheam: Amyclis autem profectum Orestem, quem ab Orestheo male seiungi iam cognitum habemus (v. p. 28 cf. 41), Aeolensium expeditionem in Troadem duxisse constat[76a]. Sic omnia concinunt ad rem explicandam. *Πάρις* autem, quod ad nomen haec fabula transfertur, nihil aliud est quam *Μάρις* Aeolice versum (quod nomen in Lyciis Homericis *Π* 319 gente Troicae cognatissima recurrit), Maris cum Marone vini donatore, Bacchi vel Sileni filio, proxime cohaeret; quo haud scio an etiam pertineat Marsyas princeps Silenorum. Ceterum Bacchi necessitudines Troicae crebrae sunt. *Οἰνώνη* (iam Hellanico nota) Paridis uxor est, *Κισσεύς* Hecubae pater; in Telephi et Eurypyli rebus Bacchus primum locum habet; itaque Rhoetus gigas, Rhoetei eponymus, in gigantomachia Bacchi adversarius est; nota denique fabula de Oenotropis, Anii filiis, cum Baccho prope connexis, quae Rhoeteum veniunt (v. Schol. Lyc. 570: Cypria fr. 17 Kinkel. Simonid. fr.

[75]) Melius etiam Johannes Malalas huc facit exscriptus a Surbero „die Meleagersage“ Zürich 1880, qui uberius quam felicius testimonia congessit, p. 85.

[76]) Cum *Ἰλεύς* nomine conferendum inter Siciliae Locrenses *Ἶλας* Pind. Ol. X 17 et scholl.

[76a]) Pind. N. XI, 34. Strab. 582. schol. Lycophr. et Tzetz. 1374.

24), quarum nomina *Οἰνώ, Σπερμώ, Ἐλαΐς* affero, quod hic etiam oliva Meleagrea illa, ceteroquin a Baccho alienior, comprobatur[77]).

Sed vereor, ne ex hisce omnibus nuntiis aptissimis ad pernoscendam facis Troianae fabulam, parum lucremur in quaestione quae est de auctore, a quo acceperit eam Euripides. Sane ignoscendum est, si mens, ubi de tragoedia cum Troadibus coniuncta agitur, iterum iterumque in Stesichorum inclinat, qui et de Troia ut vidimus antiquissima servavit, et quo nemo necessitudines inter Amyclaeam et Aetoliam antiquitatem intercedentes qui referret, testis exstitit locupletior. Sed dissolvi haec quaestio, quamdiu non nova materies accrescit, nequit. —

Atque iam ad finem perventum est. Nam ab Helena exorsi pedetemptim vestigia eiusdem auctoris qui in illa expressus est consecuti sumus, quem auctorem non statim perfecta illa e manibus misisse Euripidem verisimile erat. Nec ratio nos fefellit. Et Helenae quidem fabula iam in Electra, anni prioris tragoedia, respiciebatur, ita ut in eam quoque hic illic lumen Stesichori penetraret. Sed praeter exspectationem factum est, ut iam in ea trilogia, quae in limine extremae huius aetatis Euripideae sita est, eundem fontem detegeremus. Manibus ergo tenetur, quantopere tunc coepisset poeta ad Aeschyleam artem se applicare et novas copias sibi suppeditare veteriores poetas et neglectos quidem adeundo. De pluribus dico; nam etsi unus Stesichorus multa ei suppeditasse isque maxime studio Troicarum fabularum denuo eum implevisse videtur, tamen si alios auctores excluderemus, aut divitias litterarum Graecarum iam tunc exstantium, aut bibliothecae Euripideae copias, quas memorabiles fuisse constat, nimis parvi duceremus. Documento est Ibycus, cuius vestigium in Troadibus praeter Stesichorum deprehendisse nobis videmur. Quare vereor, fabulas

---

[77]) Valde memorabile *Μαριός* oppidum in Laconicae ora orientali situm Paus. III 22, 6. 21, 6, et Maronis delubrum item Lacedaemonium. P. III 12, 7 proximum Hellenii oppidi. *παρὰ δὲ τὸ Ἑλλήνιον Ἀρσινόης ἱερόν, Λευκίππου τε θυγατρός καὶ γυναικῶν τῶν Πολυδεύκους καὶ Κάστορος ἀδελφῆς* (Paus.). Haec quam prope et inter se cohaereant et ad Helenae res supra (p. 10 sqq.) expositas accedant docet Steph. Byz. *Μάριον, πόλις Κύπρου, ἡ μετονομασθεῖσα Ἀρσινόη.*

quae reliquae sunt ex hac aetate inauditas nec non vetustas certo auctori tribuere, ut illam quae est in Helenae cantico 375—380 de Callisto a Iove sub leonis forma dilecta[78]), vel quam ibidem profert de Meropis Coi filia in cervam mutata (a Diana)[79]), vel illam in Iphigenia Taurica 1258 sqq. exstantem de Apollinis Pythii cum Terra controversia. Proximum quod post hanc disceptationem, si recto talo stat neque irrita cadit omnino, disquirendum erit, id me iudice est, ut ceterae eiusdem aetatis tragoediae et exstantes et quatenus fieri potest deperditae, perquirantur, in quibus etsi non certa ansa data est ut in Helena, tamen veteriora inveniri potuerint, quam in priorum temporum multis. Sed nobis id praestare nunc non in animo est.

Caput alterum.

1. Trilogias Euripideas ita institutas, ut singulorum dramatum argumenta ex eodem fabularum cyclo desumpta temporibus sese exciperent, cum tantummodo extrema poetae aetas, Aeschylei studii plena, praebere plerumque crederetur, scilicet Troicam anno 415 et Thebanam 408 doctam, Wilamowitzius (Anal. Eur. p. 175) summa cum prababilitate eiusmodi exemplum multo antiquius indicavit, de quo post ea quae addidit Robertus (v. Herm. XV p. 485) vix dubitandum videtur: Aegeus Theseus Hippolytus I. trilogiam effecere. Cui coniecturae ex iis quae de Theseo proferam fore ut adminiculum accrescat spero.

Et de Aegeo quidem non paucissima sciri possunt, si cum

---

78) cf. Clem. Rom. Homil. V 13: *Καλλιστοῖ τῇ Λυκάονος ἠγριώθη (Ζεὺς) λέων.*

79) Locus corruptus, tamen summa rei perspicua. Recurrit fabula hucusque neglecta apud Ovid. Met. VII 364, nisi quod illic vel plures vel omnes insulae mulieres commutantur. Secundum Boeum Ornithogoniae auctorem Meropis filius et nepotes, puellae duae unusque iuvenis, a Mercurio Minerva Diana iratis in aves mutantur (Ant. Lib. 15). Hyginus Astr. II 16 etsi Meropis (cuius in aquilam conversionem et catasterismum omitto) uxori partes tradit alioquin prole occupatas, tamen propius ad veterem fabulam accedit, cum una de Diana refert, a qua illam sagittis figi perhibet, donec Proserpina vivam ad inferos abriperet. — Cur Euripides Meropis filiam *Τιτανίδα* appellet, item cur Ovidius fabulam cum Herculis ab insula discessu connectat, alio loco exponam.

Sophoclea comparatur, quae crassa caligine premitur. Etenim, ne de Medeae partibus loquar, quarum nullum ibi vestigium est[1]), praeter iter quod narratur Thesei rebus gestis (fr. 21—24)[2]) clarissimum a Troezene materna sede profecti, nihil perspicitur quod ullo modo tragicum argumentum effecerit, sive id Pallantidum fabula ab illo devictorum fuit, sive Cretica Thesei expeditio et Aegei suicidium falso veli colore decepti. In signis quibus agnoscitur a patre Theseus, Sophocles veteriorem fabulae formam secutus esse videtur quam Euripides, quippe qui non iam calceis ad *ἀναγνωρισμὸν* uteretur, sed aliis nescio quibus documentis. Nempe non tum demum, cum poculum iuveni daretur, calcei conspiciebantur — absurdum id fuerit —; sed ad illam veneficii occasionem, quae (sicut in Ione) in convivio fuisse putanda est[3]), summum gladius quadrat, quo ille ad carnes secandas uteretur. Calceoli autem Ionici illi gravioris et veterioris momenti sunt; qui diligenter expressi sunt in vasculo quinti saeculi[4]) (ubi Theseus cum invenili violentia matris preces retinere ab itinere illum cupientis repellit gladium modo receptum superbe gestans), cum plerumque Theseus in vasculis ut quivis alius aut nudis pedibus aut caligis cruris quoque dimidium obtegentibus indutus sit. Cohaeret autem calceamentum Ionicum cum chitone Ionico; nam caligis crura tegentibus ii non indigebant, qui pro brevi chitone fere ad genua pertinente longam vestem portabant totum corpus velantem. Et neglexit chitonem Ionicum haec quidem fabula; servavit tamen altera illa de Theseo Eleusinium praetereunte qui ab opificibus irridetur tamquam puellarum more vestitus. Insignis iste Ionicae gentis habitus etiam aliam fabulam produxit, non Athenis hanc quidem, sed in Scyro insula, ubi eadem femineae vestis memoria cum Achillis persona (idque non iure) coniungebatur; qui cum Atticis fabulis connexus comprobatur Thesei memoria ibidem florente idque etiamtunc Cimonis temporibus, qui ossa Thesei e Scyro

---

[1]) Medeam partes habuisse negat Wilamowitz. Herm: XV p. 486.

[2]) simile aliquid fragmento 24 continetur sic fere supplendum: *οὕτως ἔφριξα τὸν γίγαντ' ἰδών·* (*ὁ δ' οὖν* —)

[3]) Nimirum ectypon Campana (Overb. Her. Gal. XVII, 7) si recte huc refertur, quod contendit Jahn. Arch. Aufs. 185, his non obstaret: nequibat enim artifex, nec debebat, si quid arti suae conveniret sciebat, totum convivium repraesentare.

[4]) Patera ab Hierone picta Mon. d. J. VI. VII, 22. Wiener Vorl. Bl. A, 8.

reportabat. — Calceos igitur neglexisse videtur Euripides. Contra veteriora ni fallor servavit, cum et Medeam induceret et quod summo iure ex Hygino (f. 26) huc revocatur, Dianae sacerdotem illi adversariam. Medea eadem dea est, Solis consanguinea, quam in Tetrapolidis regionem e Corintho migravisse ostendi potest, quae nunc in Minervam[5]) nunc in Venerem (quod ad Aegeum quadraret), nunc in Dianam (v. supra p. 12) abit. De controversia, quae est inter Medeam et Dianae cultores, Wilamowitzius (Herm. l. c.) qui de Diana Brauronia cogitat, Peliades tragoediam confert, ubi Medea ad fallacias suas persequendas habitum Dianae sacerdotis induisse videtur. — Medea Athenis profuga iam ab Herodoto (VII 62) agnoscitur, eadem in Codri quae vocatur patera, nondum Euripidis auctoritati obnoxia[6]) una cum heroibus Atticis picta cernitur; item praeter Medeam ipsam Chalciope, quod sororis nomen est, inter Aegei uxores ab Istro numeratur[7]). — Sed etiam Medum, Medeae et Aegei filium, in tragoedia fuisse necesse est; alia enim causa, cur Theseum illa interficere studeat, quam ut suus filius regnum obtineat, vix excogitatur. Cuius rei indicium exstat in Theopompi Comici Theseo; Meineke II p. 798, 1; fr. 17 Kock (p. 737):

ἵξει δὲ Μήδων γαῖαν, ἔνθα καρδάμων
πλείστων ποιεῖται καὶ πράσων ἀβυρτάκη.

Theopompus qui Euripidem alias quoque irrisit (806, 3 fr. 34 K.), atque in hoc dramate sine dubio mulierum veneficia tum haud insolita[8]), sicut in Althaea (fortasse Meleagri Euripideae parodia), sub Medeae nomine perstrinxit, ceterumque etiam 'Medum' comoediam scripsit, Theopompus inquam hoc loco inducit personam aliquam talia vaticinantem, qualia in fine tragoediarum emigrante aliquo occurrunt. Nimirum de Medo agitur, cui detectis matris insidiis in urbe manere non licet; neque dubitari potest, quae persona illa divina sit vaticinium edens: Medea ipsa est, non iam in scena consistens, in aede Aegei, qua expellitur, sed sublimis visa, draconteo curru sublata, unde nunc vociferantem eam audimus. In quo si non filium prosequitur, id cum Hygino concinit: 'ab Athenis Colchos redit'. Euripideae igitur auctoritatis ille rationem habuit qui Medum tragoediam scripsit ab Ennio expressam, in qua Medus (ex Medico

---

5) *Ἑλλωτίς* Marathone, *Χαλινῖτις* Corinthi.
6) v. de his vasorum necessitudinibus Robert. B. u. L. 129—148.
7) v. Wilamow. Herm. XV, 484, 3. 523.
8) v. Kalkmann de Hippolytis Euripideis p. 8 sq.

suo, opinor, regno profectus) Colchidem petit matris quaerendae causa, quam ibi profecto reperit.

Singula exstant in fragmentis praeter adventum Thesei fr. 1. 2. (6), insidias Medeae fr. 4, nulla[9]); sed ex Ennii Medea, cui per se Euripides Sophocle propior est, hi versus servantur (p. 41 Ribbeck[2].) quos ad Theseum advenam loquitur aliquis:

asta atque Athenas antiquum, opulentum oppidum
contempla et templum Cereris ad laevam aspice;

quo Cereris templo, simplicissima re, de qua explicanda desperat Ribbeckius, aut *Δημήτηρ Χλόη* aut Eleusinium respicitur utpote iis, qui in arce stabant, proxima. Ad eandem tragoediam refero confidenter fr. adesp. CLIII p. 274 Ribb.:

in arce Athenis statio nunc [mihi] placet.

Sic (nisi deus, at dei Attici sedem suam non mutavere) tantum ea persona loquitur, quae et peregrina est et admodum superba potensque, vel etiam atrox instantibus iam qui eam expellere studerent, in quibus fuit praecipue Dianae sacerdos. Huic, sacerdoti uni convenit etiam Eur. fr. 3; nam Theseus de Medea non habet cur queratur, quamdiu nondum cognitus est a patre; quo semel facto sic in quavis condicione non loqueretur de genitore; facile autem concedes, optime quadrare versum illum ad partes sacerdotis iratae ob Aegeum, qui Medeam amittere gravatur, timorem fortasse praetendens, ne illa artem suam perniciosam in urbem vel ipsum vertat: versus est ex altercatione sacerdotis et Medeae.

Haec de Aegeo. De secundo trilogiae dramate, Theseo, tantum constat, Cretae scenam esse, de Minotauro superando agi. Rixam illam qui erat inter Minoem et Theseum (fr. 386) Fr. Leo[10]) felici coniectura usus comparato Pausania I 17 rettulit ad dubitationes a Minoe prolatas de divina Thesei origine, quas ille ita removit, ut et anulum a rege in mare coniectum demergens reportaret et coronam auream ab Amphitrita receptam: fabula, ut Miconis imago, Euphronii patera picta, crater Agrigentinus (utraque iunior) docent, satis nota quinti saeculi hominibus. Qua in occasione Theseum tres illas optationes a Neptuno patre recepisse Robertus suspicatur.

Unum certe his addi posse existimo. Namque in Aristophanis

---

[9]) fr. 5 Medea loqui videtur insidias institutura; familiaris ille, quem arbitrum habet et fortasse doli sui ministrum, ni fallor Medus est.

[10]) De Senec. tragg. observv. critt. 180, 25.

Polyido hi versus leguntur (Mein. p. 1134, 2. fr. 453 Kock [p. 508]):

ἰδοὺ δίδωμι τήνδ' ἐγὼ γυναῖκά σοι
Φαίδραν· ἐπὶ πῦρ δὲ πῦρ ἔοιχ' ἥκειν ἄγων[11]),

quos ad Euripidis cognominem tragoediam rettulere. In quo id quidem recte censetur, si Aristophanes fabulam irrideat a tribus tragicis nobilissimis illustratam, de Euripidea maxime cogitandum esse. Neque verisimile est, Euripidem fabulam semel perstrictam facetiis acerrimis illius serio tractandam sibi sumpsisse. Quare quamvis multa Polyidi Euripideae comicus in ridiculum verterit, tamen si inter fragmenta illius comoediae duo isti versus fortuito leguntur, eos ipsos, — quae est Aristophanis cum Euripide mirifica necessitudo — ex Polyido Euripidis desumptos esse necesse non est. Immo ne exputari quidem persona potest, cui in Polyido Phaedra in matrimonium dari possit. Nam ne de Polyido ipso cogitetur, cui quidem gratia Minos obstrictus est, obstat aetas vati conveniens; nec ceterum quisquam facile invenitur, qui puellam aequo amore inflammatam, ut versus 2. dicit, uxorem ducere possit, nisi forte res quaedam amatoria inter leviores personas agenda summae argumenti innexa erat more nostrorum temporum alienissimo ab antiqua arte. Rettulit versus ad sacrificium nescio quod Orco debitum Hartungus, cui nec secundus versus respondet nec ἰδοὺ illud, quod nimis familiariter dictum est, quam ut ad numen spectare possit. Cui vero nupserit Phaedra non nescitur, scilicet Theseo, etsi Euripides unus testis est isque Troezeniorum peculiari fabula recepta. Hoc infelicissimum coniugium Hippolytis Euripideis adeo pervulgatum erat, et inprimis ab Aristophane ipso tam saepe Phaedra Euripidea perstricta erat, ut vel eam ob causam Phaedra (etiam in comoedia) haud facile alio marito daretur. Non item pervulgatum est, cum Ariadnae notissima fabula obstaret, Theseum Phaedram, non sororem e Creta duxisse. Attamen id praemissum subest toti illi coniugio; an — quod vix serio cogitari potest — primum Ariadnam, tum a Naxo, ubi illam Baccho concesserat, Cretam reversus sororem duxit? Certe aliquo modo, nisi Ariadnae vulgatam fabulam prorsus negligere audebat, instituendum poetae erat illud coniugium, et quomodo factum esset, explicandum,

---

[11]) de secundi versus explicatione vide quae congessit Kock. p. 18, 18; miror, quod idem Kockius comparat Eur. fr. 432, rem prorsus diversam; ibi enim primo loco ignis Promethei dicitur, altero (qui ad Pandoram spectat) mulierum genus.

si quidem occasionem ei dabat Cretensis fabula in Theseo tragoedia; qua haud facile aptiorem locum hisce rebus referendis invenerit. Atque cum tamen forsitan neglexisset hanc explicationem, nunc eam evitasse nequit, quoniam in eadem atque Hippolytum trilogia Theseum fuisse verisimile est[12]). Quo igitur modo removit vulgarem Ariadnae fabulam? Memineris fabulae ab 'Epimenide' Creticarum rerum scriptore (v. Eratosth. Catast. p. 66. 241. Rob.) et Himerio or. 1, 5 (v. Preller Myth. I, 559, 3) servatae, quam etiam Odyssea λ 324 respicit, qua Bacchus Ariadnam non e Naxo sed e patria ipsa ducit, quam deinde vel ipse vel eius consilio Diana interficit. Haec fabula se praebebat ei qui pro Ariadna Phaedram a Theseo duci tradebat. Nec ratio nos fefellit; nam hanc profecto fabulam Euripides respicit in Hippolyto 339, ubi Phaedra domus suae mala queritur:

σύ τ' ὦ τάλαιν' ὅμαιμε, Διονύσου δάμαρ. —

Quodsi de amore et filo Ariadnae Euripides non narravit, aliae viae quibus Theseus e tenebris labyrinthi exitum adipisceretur, patebant duae: aut optatio una trium illarum adhibenda erat, quod coniecit Wilamowitzius, aut — quod posteriores narrant — fulgore coronae illius divinae utebatur. Vides autem duas has facile in unam confluere. Nam ubi semel inducta est corona illa, non tantum ad Minoem refutandum ea uti Theseus putandus est; sed vis aliqua et utilitas in deorum dono insit oportet. Et ne plus semel, scilicet ad sese e labyrintho expediendum, ea uteretur obstabat et occasionis singularis natura et fabula coronae Cretae insulae adhaerens. Atque etiam omisso fulgore labyrinthum illuminante, coronam ipsam suspicor primam optationem effecisse. Namque Neptunum patrem ille in mare demersus adiit, documentum et omnino arma petiturus contra Minois iniurias, quo etiam pertinebant sacrificia Minotauro debita. Quodcunque pater ei tunc dederit, id saluti ei erit in Cretico discrimine. Addidit autem pater duas alias optationes, quarum altera Theseus in Hippolyto I. connixus ex Orco salvus rediturus erat (Wilamowitz.); nam, ut Robertus monet, exsecratio illa Thesei qua Hippolytus deperditur, tertia et extrema optatio sit necesse est, cum aliter liceret, filium cognita innocentia eius a morte servare.

---

12) Quod versus Polyidi attinet Aristophaneae, neque is qui loquebatur omnino Minos esse debuit, neque ea, ad quam spectant illi, omnino Phaedra; sed poterat scortum aliquod lepide sic significari; nam hoc potius mulierum genus, quam heroidum veras personas in scenam producit Aristophanes.

Multulm quaesivere de Hippolyto priore, *Καλυπτομένῳ* quae dicitur. Ad hanc ut accedam maxime commoveor carmine Ovidiano, Heroide dico quarta, ab omnibus praeter Birtium (Mus. Rhen. 1877 p. 386 sqq.) etiam a novissimo huius rei scriptore[13]) parum respecta, quamquam de summa rei subesse tragoediam nostram dudum creditur. Praemoneo, in hisce epistulis amatoriis ad auctores spectantibus nobis non tam remotiores aliquos quaerendos esse sed tantum principes et vulgares cuiusque fabulae auctores, ut in Didone Virgilium, in Penelopa et Briseide Homerum, de qua re facile sibi quisque experiendo persuadebit. Item Phaedra, Laodomia, Canace, uni Euripidi debentur, etsi id modo in Phaedra ubi non deficiunt copiae, probari potest. Praesto enim habeamus, quid sibi velit omnino hoc genus carminum (quod ipse poeta se novasse testatur [Ars am. III 345]), de quo e. gr. Lehrsius quam maxime perverse iudicavit. Scilicet non id agi apparet ut verae et exactae fabularum imagines formentur, sed quasi exercitationes lususque ingenii, in quibus notiora quaeque conflata et rhetoris potius quam poetae sententiis exornata proferantur. His si substraveris exempla Alexandrina, ut fecerunt Kiesslingius (Anal. Catull. Gryph. 1877) aliique decepti forma epylliis cognata, coercetur libertas illa passim evagantis enarrationis, cui maxime indulgebat Ovidius. Praecipue autem, huiusmodi auctoribus si usus esset, fieri non potuisset quin fabulae vel nomina mythologica reconditiora hic illic legerentur, — de quo sufficit Ibin comparare —, qualia nunc frustra quaeris in Heroidibus. Nimirum de Oenone (V), de Phyllide (II), de Ariadna (X) auctores memorabiles non ante Alexandrinorum tempora exstiterunt, poteratque poeta legisse nonnulla huc spectantia, sive Graeca sive, quod suspicor, Latine conversa, velut Tusci Phyllidem (Ex Pont. IV 16, 20) e Callimachea expressam, velut Catulli nobile carmen. Inde fortasse Pegasis (V, 3), Eleleides (IV, 47), Paris venator (V, 17—20). In Medeae rebus praeter Euripidem, in Hypsipylae fortasse unum respexit Apollonii epos (XII, 62 sq. = Ap. Rh. III, 670, 674[14])), id tamen non ipsum sed Latine versum a Varrone Atacino, quem unum nulla usquam Apollonii mentione facta ut Argonauticorum poetam et auctorem non sine admiratione commemorat: Am. I, 15, 21. Ars am. III, 335. Ex Pont. IV, 15, 21 sq. Tamen haec

[13]) Kalkmann. De Hippolytis Euripideis. Bonn. 1882. p. 24.

[14]) id quod iam vidit Loersius.

pauca fuere atque adeo non animum insedere Ovidii, ut epyllia ista vix legisse primo aspectu videatur. Certe rectissime se habet quod A. Riese dixit, aliquanto pauciora eum legisse quam Alexandrinorum imitatores. Quod ne Metamorphoseon quidem tanta absconditarum rerum copia evertitur, si quidem respicis epitome mythologica eum usum esse aliquatenus, quod luculento exemplo demonstravit Robertus (Bild u. Lied p. 231, 5). — Quare, etsi in duabus Heroidibus, Hermiona et Deianira, res non ad liquidum perduci potest, ea quam praescripsimus via progrediamur.

Phaedram igitur cum Euripide comparanti ante omnia eximendae erunt nonnullae ab Euripide alienae; primum ea quae secum ferebat forma epistulae, ut v. 1—10. 13. 14, in quibus notanda est imitatio Argonauticorum, 7. 8 = Ap. Rh. III 654. Versum 1 repetit poeta in epistula Byblidis ad Caunum fratrem data (Met. IX 530), item sententia quae est 133, illic recurrit 555. Quae 17. 18 dicuntur, 23—34, tum 150—152, dici non poterant nisi a Romano Augusteae aetatis, cum matronarum amores ne dicam adulteria florerent. Illa quoque similitudo, qua amans comparatur cum invenco vel equo cui primum imponitur iugum, propria est poetarum Romanorum [15]). Contra Euripideae exstantis tragoediae imitationem prae se ferunt 41 sqq. = Eur. 215 sqq., 39 = Eur. 1092. 1394, porro 45. 46. 231; tum 52 (cf. Trist. II 383) in universum, cf. maxime Eur. 40. 279. 392; atque illud vero exemplum de Cephalo et Aurora nullius in mentem venire poterat in hoc contextu, nisi ante oculos erat Eur. 455. Item in iis quae de Minois filiabus 55. 61, de matris in taurum (57), sororis infelici (59) amore comminiscitur, Euripides praeivit 337—343; in quibus tamen veterem fabulam de Bacchi et Ariadnae Cretico coniugio poeta Romanus non perspexit, sed infortuniam Ariadnae ad Thesei (deserentis eam) perfidiam rettulit. Denique quod *νόθος* erat Hippolytus (122), momentum a recentiore tempore neglectum, uno ex Euripide ipso haustum est (309. 962. 1083); concinunt porro 51 et Eur. 232 sq., tum 39 et Eur. 1092. 1394. Et haec pleraque — non omnia — iam attulit Birtius [15a]). Praetermisit tamen gravissimum omnium concentum, iter Hippolyti Eleusinium (67. Eur. 25).

Atque haec ita comparata sunt, ut omnia iam in priore Hippolyto legi potuerint, praesertim si recte Valckenaerius dixit, cen-

---

[15]) v. quos laudat Birtius.

[15a]) qui altera a parte nimius fuit in comparandis utriusque poetae verbis.

tenos versus atque etiam totas regiones Euripidem in Coroniferum posse transtulisse. Iam quod primum animum nostrum in Velatum deflectit, illud est v. 110:

Praeposuit Theseus, nisi si manifesta negamus,
Pirithoum Phaedrae, Pirithoumque tibi.

Notus est locus Plut. Mor. p. 28 *A* a Welckero allatus: *καὶ ὁ σύσκηνος αὐτοῦ* (Sophoclis) *πάλιν ὁρᾷς ὅτι τήν τε Φαίδραν καὶ προςεγκαλοῦσαν τῷ Θησεῖ πεποίηκε ὡς διὰ τὰς ἐκείνου παρανομίας ἐρασθεῖσαν τοῦ Ἱππολύτου.* Cuiusmodi essent *παρανομίαι* istae quas referens moecha culpam in maritum reiciebat, cognosci censuit Wilamowitzius Anal. Eur. 209 comparato Seneca Phaedr. 91—98: in Orcum Theseus cum Pirithoo descendit ad Proserpinam rapiendam. Et in summa rei, quatenus haec causa absentiae Thesei, ut pote multo aptior quam debile illud *θεωρίας* in Coronifero inventum, Euripidi tribuendum sit, pergratus est locus a Wilamawitzio indicatus[16]). Tamen *παρανομίαι* illae num recte ad Proserpinae amorem referantur dubito. Etenim per se ipsam satis mira fabula sit, si uterque amicus Proserpinam uxorem ducere concupiscat; quod intellexere ii, qui sortiri amicos de rapienda dixere[17]). Nolo mythologicas causas persequi, cur Pirithous potius quam Theseus cum Proserpina coniungendus sit. Sed quamquam in veteriore fabula uterque in Orco detinebatur (Hom. λ 631. Panyasis: Paus. X 29, 9. Polygnot. ibid.), tamen cum Atheniensum pia fraus, ut dicit Wilamowitzius (An. Eur. 167) efficeret, ut Theseus e vinculis liberaretur, id tamen non sine veteriore aliqua fama unum Pirithoum commemorante factum esse videtur. An in verbis Sophocleis O. C. 1592

κοίλου πέλας κρατῆρος, οὗ τὰ Θησέως
Περίθου τε κεῖται πίστ' ἀεὶ ξυνθήματα

quid voluere *ξυνθήματα* ista nisi ad communem ad inferos des-

---

16) Quondam Eur. fr. 446 huc referebatur ita ut verbis Thesei Senecaei 991 in lucem revertentis responderet. Sed nec Welcker. p. 740 nec Wagner. Eur. fr. 439 neque etiam Hartung. Eur. rest. I, 49 satis explicare potuerunt cur *δυστυχὴς* Theseus dicatur. Quare Fr. Leo verba Phaedrae mori volenti tribuit. Melius etiam Hillerus (de Soph. Phaedr. et d. Eur. Hipp. pr. n Lib. miscellan. ed. a soc. phil. Bonn. 1864, 34 sqq.) de Phaedra aegrotante et domo egrediente cogitavit. Sed quaeri possit, nonne de amici amissione in Orco detenti queratur Theseus.

17) Plut. Thes. 31. Diod. IV 63.

censum spectant, cuius locus Coloni monstrabatur; et quid ad hoc foedere opus erat, si uterque aequa voluntate et voluptate ut illuc descenderet commovebatur. Theseus igitur comes tantum et particeps periculorum cum amico descendisse putandus est, ut schol. Apoll. Rh. I, 101 et Seneca ipse testatur:

fortis per altas invii retro lacus
vadit tenebras miles audacis proci.

Et quidquid de fabula statueris, certe in tragoedia, de qua nunc agitur, res ita accipiebatur; nempe solus Theseus, ut in Senecaea, ex Orco (in scenam) revertit; quam amici amissionem haudsio an queratur fr. 446.

Eodem ducit Plutarchi locus; nam *παρανομίαι* non apte appellatur amor in deam incensus; qui quidem *παρὰ νόμον* est, sed non turpitudinem habet, qua adspersa marito se ipsam Phaedra purgare studet. Immo Thesei in Perithoum amorem dici arbitror, quem in turpitudinem vertit mulier improba. Huiusmodi incesta libido profecto *παρανομία* vocatur, ut in Alcibiade Thuc. VI 15 cf. Plut. Alc. 6. Quodsi ‚stupra et illicitos toros Acheronte in imo' Theseus quaerere dicitur a Phaedra Romana, id adeo cum prioribus quae attuli verbis pugnat, ut consulto evitasse Senecae delicatior ars rem Euripideae aetati solitam et in mulieris amorem vertisse videatur. Pirithoi, non Proserpinae, amorem Ovidiana quoque Phaedra crimini dat marito.

Tantum ille molestias facit in Ovidio versus qui duos supra allatos praecedit: „Illum Pirithoi detinet ora sui". Quod his verbis significatur, regnum Pirithoi quo Thesus ad celebrandas amici nuptias profectus erat, id hoc loco commemorare et opprobrio dare Theseo, paene ineptum est neque ullo modo comparabile cum illa mora quae eum in Orco retinebat iam per quadriennium si Senecam audimus (838). Et Kalkmannus quidem quomodo ex tradita lectione sensus ille quem vult (ad Orcum spectans) elici possit, nec demonstravit neque ipse multum quaesivit p. 36 sq. Quare iamdiu corruptela aliqua latere mihi videtur. Quodsi Birtius p. 405, 1 corruptum esse locum non antea se crediturum esse dicit, quam detexeris sub ora quid lateat, ad dubitationes istas profligandas dudum in promptu mihi est idonea coniectura: scribo pro *detinetora* : *detinetūbra* i. e. detinet umbra; in qua lectione nihil offensa est, nisi quod neglecta condicione loquentis, in qua non mortuus erat Pirithous, communis potius et

vulgaris imago poetae sese obtrudit. Ceterum Ovidius tum corpora ipsa, tum umbras sceleratorum in Orco cruciari sibi fingit. Cf. Trist. V 3, 39:

ossa bipenniferi sic sint male pressa Lycurgi,
impia nec poena Pentheos umbra vacet. —

Mirifice consentit Ovidii locus 79—84 cum illo quod Pausanias II 32, 3 quasi *αἴτιον* affert *Κατασκοπία* nominis, quo Venus Troezene appellabatur: *αὐτόθεν γάρ, ὁπότε γυμνάζοιτο ὁ Ἱππόλυτος ἀπέβλεπεν εἰς αὐτὸν ἐρῶσα ἡ Φαίδρα.* Si respicimus quemadmodum Pausanias Phaedrae res Euripideas enarret tamquam fabulas Troezene circumlatas et inde oriundas, non multum obstat, quominus hanc narratiunculam, quae Ovidii versibus comprobatur, ad Velatum referamus. Quodsi simile quiddam sed iam lascivius de Scylla Minoem iuvenem contemplante Ovid. Met. VIII 20 sqq. 32 et maxime Nonn. XXV 165 narratur idque ex Alexandrinis exemplis expressum, inde non tam iuniorem esse istius fabellae (Hippolyteae) aetatem colligo quam huius auctoritatem ab illis respectam. Eorundem auctorum consensum habemus in commemoratione liberorum e Phaedra natorum, qui etiam in sacrophagis cernuntur, cum in Coronifero fere nulla eorum mentio fiat (314): et Ovidius 121 sqq. et Pausanias l. c. refert Theseum eo certo consilio egisse, ut Phadrae liberi, non Amazonis filius, regnum obtinerent. In Ovidio solo id poterat rhetoricae elocutioni impertiri, quasi fallacia Phaedrae, qua filii in patrem verecundiam infringeret; de quo nunc aliter iudicandum est accedente Pausania.

Velatum Hippolytum scenam habuisse non Troezene sed Athenis coniecit Leo e Senecae tragoedia et Ovid. Met. XV 506 coll. Fast. VI 739, Hartungi comprobans suspicionem. Kalkmannus in dissertatione p. 26 hanc rem brevissime attigit[17a]). Et quamquam de quaestione ipsa idem sentio, tamen argumenta quibus res confirmetur, etiam nunc plurima restant intacta. Primum enim totum hoc exilium Thesei quamvis non ineptum, tamen inventum est a poeta; nec satis probabiliter egit, quod obitum infesti et gigantei Pallantidum generis, quo devicto demum in tuto collocabantur Athenae, in piaculum vertit consanguinitatem illorum prae-

[17a]) Quae plura de hac re disserturum se esse promisit, quatenus perfecerit, non novi, cum praeter dissertationem illam (pagg. 44) nihil eiusdem auctoris habeatur hucusque in bibliothecis Berolinensibus.

tendens[18]). Multo melius et fabulam certam secutus egerat, cum Thesei ad inferos descensum adhibuisset. Comparo haec utpote causas, cur ab Athenis abesse Theseus diceretur. At fabula ista de Theseo et Pirithoo Athenis, non Troezene locum habebat; illic locus plus uno monstrabatur, ubi amici in Orcum descendissent; nec poeta patriam domestica fabula privavisse ut eam Troezena transferret credendus est. Hanc autem fabulam, Atticam, cum abiceret ad *μίασμα* illud *Παλλαντιδῶν* confugiens, simul secundo invento opus erat ad explicandum, cur Theseus a scena (Troezenia) abesset; finxit igitur *θεωρίαν* nescio quam a Theseo visendam, vilissimam profecto et debilissimam causam, cuius auctor manifesta fuit inopia. Duobus igitur momentis indigebat poeta, ubi in priore et immutata tragoedia sufficiebat unum, idque et simplissimum et dignissimum. Porro occasionem spectemus, qua Phaedra cognoscat privignum antea ignotum. Omnes enim uno ore testantur, Hippolytum a patre mature missum esse Troezena, seu ut a Pittheo abavo educaretur, seu ne regnum Atheniense obtineret, seu quod Asclepiades tradit (Schol. Hom. λ 321. Eust. ib.) ut tutus esset a novercae insidiis. Nitebatur id vera rerum condicione, cum Hippolytus heros esset omnino Troezenius etiamtunc cum Theseus iamdiu Atheniensis factus esset; quamquam non obliviscendum, Hippolyti quoque memoriam una cum patris aliquatenus Athenas migravisse, quod docet *Ἀφροδίτῃ ἐπὶ Ἱππολύτῳ*. Iam si supposita Thesei fuga Troezene scena dramatis fuerit, locus is erat maxime idoneus, quo Phaedra videret privignum et adamaret. Quid igitur opus erat addita alia occasione, itinere Hippolyti quondam Athenas ad Eleusinia facto! Et Eleusinia quidem per se nullius momenti sunt; placuit poetae ea itineris causa ut aptissima moribus et indoli Hippolyti (cf. 952 sqq.); tantum de itinere ipso Atheniensi agitur. Quod adeo non ex re est adeoque alienum a natura fabulae, ut Aristophanes Byzantius vel quisquis condidit hypothesin Coroniferi, id plane omiserit, atque ita egerit quasi Troezene primum noverca illum vidisset; et Pausanias vero *πρῶτα ἐνταῦθα* (Troezene) *εἶδεν* dicit, quod profecto tam consentaneum est, ut ad hoc nullo praeter Euripidem fonte opus fuerit. Dixeris fani Hippolytei commemorandi causa (v. 28 sqq.) iter illud Atheniense finxisse poetam. At mirum quantum abhorrent versus

[18]) Vereor ne ex Euripide potius quam ex populari memoria fluxerit exilii huiusce mentio ap. Paus. I 28, 10.

isti cum a prologi contextu tum a totius tragoediae tenore; quod exponere utpote rem notissimam supersedeo[19]); qui versus ut illo loco intolerabiles sunt, ita in priore Hippolyto alicubi fuerint necesse est, forsitan in fine, ita ut una cum illa mentione de immortali natura Hippolyto donata referretur. — At dicunt obstare scenae Atheniensi Heroidem Ovidianam (107): „Hic tecum Troezena colam Pittheia regna“. Sane ita e contextu abreptus versus obloqui videtur; sed videas quae praecedunt. Quodcunque Hippolyti proprium est, adamaturam se confitetur puella, primum venationem (102 sq.) tum locum affert (105):

Aequora bina suis oppugnant fluctibus Isthmon,
et tenuis tellus audit utrumque mare:
Hic tecum Troezena colam etc.

Quod ad duos versus priores attinet „capiunt haec omnes interpretes de Isthmo Corinthiaco, sed manifestum est agi de Troezene, quae non in Isthmo Corinthiaco sita, sed remotior ab illo, quam ut Aegeum et Ionium audiret mare“. Quibus Burmanni verbis omnino subscribo ita quidem ut coniecturam illius „utrimque“ scribentis ne necessariam quidem ducam. Neque vero „tenuis tellus“ ad Corinthi Isthmum quadrat, praesertim si confers Troezenium tanto aptiorem. Difficultates autem, quas in tertio versu quaerunt, evanescunt simulatque „hic“ istud cum praecedentibus, ut consentaneum est, connectitur. Quodsi addit Phaedra: „Iam nunc est patria gratior illa mea“ id aegre conveniret cum Troezenia scena; immo Athenis scribit, ibi deperit et illum et locos, in quibus ille versatur. — Potius versum 137 obstare nobis putarit aliquis:

Ut tenuit domus una duos, domus una tenebit;
at sufficit proxima legere:
Oscula aperta dabas, oscula aperta dabis,

ut haec non ad fabulam ipsam sed ad elocutionem poetae amatorii pertinere appareat, quorum similia occurrunt in Byblidis (Met. IX, 559 sqq.) et Helenae (Heroid. XVII [XVI Riese] 182) epistulis; versus ipsi qui praecedunt 139 sqq., omnino ex amatorio illius aetatis genere nati, fere ultro secum trahebant similes hasce sententias.

Et ubi semel perspectum est, priorem tragoediam Athenis locum habuisse, plurimis retractatae locis ubi ita agitur, quasi scena Athenis

---

19) Ne emendatio quidem, quam tentavit v. Arnim (De prologor. Euripid. arte et interpolatione, Gryph. 1882. p. 9 sq.) aut legentibus aut, opinor, ipsi auctori valde probabilis visa sit.

sit, novum lumen accedit. Non id urgueo, Theseum Troezene non ut exulem sed ut regem versari, tantae enim fuere Thesei cum Troezene necessitudines, spectatoribus Euripidis nondum ignotae; etsi miretur non nemo, cur Pittheus senex, cuius mentio fit diserte (v. 24), nullo oculo conspiciatur, cum tamen facile fuerit fingere, ut in Bacchis de Cadmo et Pentheo (v. 43), senem nepoti regnum tradidisse, vel si id non conveniebat illi piaculo inquinato, saltem inducere senem Troezenis regem; at id non situm erat in primori dramatis consilio. Haesitamus tamen paullulum legentes: *ποῖ γῆς ἄνακτα τῆςδε Θησέως μολὼν κτλ.* 1153, quae verba nuntii eo magis e priore tragoedia servari videntur, quo similior tota ista narratio de Hippolyti interitu in duobus editionibus fuit (cf. Ovid Met. XV 508 sqq. et Hipp. 1210 – 1217). Quam autem mirum est, quod Theseus ipse profugus, exul, filium urbe expellit atque ille rursus, quo res plane pervertitur, Athenas fugere instituit! Quanto magis consentaneum erat, si Hippolytus, Troezenius heros, Athenis expulsus eo tendit, quo pertinet eius mors, fama, immortalitas! Nec non versus 150—157 et 752—773 ita comparati sunt, ut vestigia prioris formae dispicere quispiam sibi videatur. —

Ceterum Euripides primus est, quo auctore Diana Hippolytum mortuum resuscitat; antea id beneficium fuit Aesculapii[20]). Neque enim verisimile est Cinesiam, quo nomine Dianae auxilium citatur a Philodemo p. 52, id ante Euripidem cecinisse. Indigebat tragicus novata ista versione, ut mollitiis muliebribus opponeret durum et virilem iuvenis animum praeter litterarum atque sapientiae divinae studia omnino venationi dediti. Has Dianae partes iam Velatus Hippolytus secum ferebat, cuius aequa natura fuit atque secundi. Venus autem num illic personam habuerit, valde dubito. Duorum enim numinum apparatus tam insolitus est in arte Euripidea, ut summum Troadum gravissimis rebus, ubi Europae et Asiae res aguntur, conveniant[20a]. Hic quoque insolentius aliquid accidisse videtur, quo ut Venerem induceret, commovebatur. Ea fuit repulsa quam tulit Velatus et offensa civium haud exigua. Mores Phaedrae fortiter illic et impudice agentis cum alioquin correxit tum ita, ut superiore vi eam ductam et invitam peccantem faceret; pro-

---

[20]) v. locos ap. Münzel. Quaestiones mythographae Berol. 1883 p. 3 sqq

[20a]) Necessitudo enim numinum spectanda est, quae nulla est in Ione inter Mercurii et Apollinis partes, quippe cum Mercurius tantum ministerio fungatur levissimo, sed ad prologum aptissimo.

logum si audimus Veneris, Phaedra fere nihil aliud videtur quam instrumentum, qua utitur dea ad Hippolyti animum infringendum. Cui consilio cum opposita esset Diana, totum fabulae argumentum ex humana regione sublatum in certamen quodammodo deorum vertebatur. Quo artificio poeta similiter reprehensionem fugit quam illo, cum ex Athenarum muris tantam nequitiam removeret in Peloponnesum.

2. Obiter attigi supra (p. 53) Antigonam, de qua nunc accuratius videndum. Prorsus in obscuro esset, utrum dramatis argumentum fuerit, illudne quod Hygini fabula 72 et vasis duobus[21]) continetur, an aliud, Sophoclei simile quo (Hartungo plaudente) Aristophanes Byzantius paucissimis verbis monstrare videtur, nisi lumen rei dubiae inferretur fragmento 168:

ὀνόματι μεμπτὸν τὸ νόθον ἡ φύσις δ' ἴση,

unico quod habetur certiore argumento. Quo Maeonem iam adultum atque in scena fuisse evincitur. Etenim quod quaesierit quispiam, Antigona ipsa num forte spuria dici potuerit a tyranno propter perversum Oedipi matrimonium, id omnino reiciamus oportet. Maeon autem adolescens ut contumelia ista, ad quae nunc respondet, afficeretur a Creonte, quomodo evenerit, facile perspicitur. Et Welckerus quidem deficiente meliore explicatione regem ad condicionem Antigonae tunc inferiorem et matrimonium haud concessum legitimumve despicientem conicere in progeniem illius verbum istud inuriosum suspicabatur. At eo usque procedere opus non est. Primum iuvenem Creonteo sanguine ortum esse scilicet patre Haemone (cum Menoeceus puer dudum esset immolatus) signum in humero dextro (qui in utroque vasculo nudatus est) conspectum demonstrabat; id ex Hygino constat, atque huc forsitan fr. adesp. 59 revocandum sit. Deinde cum Haemon iam prolem, praecipue victoria ornatam, non agnoscere non posset, eam tamen quae peperisset, ut pote mortuam opinione hominum, prodere nollet, iuvenis tamquam matre dubia prognatus convicia illa a rege tulit, dum Antigona ipsa adscita est, fortasse puero ipso periculi inscio domicilium indicante: nam ut veri sui maternique generis ignarus educaretur, et ipsius et parentum securitas efflagitarat. De Anti-

[21]) A) Gerhard. Apul. Vas. 11. Arch. Ztg. 1870 T. 40. B) Heydemann E. nacheuripid. Ant. Tab. I. Conze Vorl. Bl. III, 3. Arch. Ztg. l. c. Mon. d. J. X (1876) 27.

gona in scenam producta puer patre eo usque incognito haec locutus esse videtur (fr. 858):

ἀλλ' ἥδε μ' ἐξέσωσεν, ἥδέ μοι τροφός,
μήτηρ, ἀδελφή, δμωίς, ἄγκυρα, στέγη,

quibus verbus tragoedias huius poetae perlustrans alias vix condicionem inveneris non dico tam pulchram sed modo idoneam. Puer vix modo adultus rem suam fortiter agit ut Menoeceus, ut Phrixus, ut Chrysippus, omnes eiusdem aetatis fere puerilis, quam ut in scenam produceret et virili nobilique animo ornaret poeta libenter fecisse videtur (nec non consilium quoddam secutus contrarium illi, quod comici una cum plebe Euripideae et Socrateae sapientiae opprobrio dederunt). Creon illi verbis respondet acerbis fr. 166:

τὸ μῶρον αὐτῷ τοῦ πατρὸς νόσημ' ἔνι· κτλ.,

ubi corrigendi — *αὐτῇ* voluere — nec ius nec iam causa est perspecto semel tragoediae argumento. Item de fr. 167:

† ἡ γὰρ δόκησις πατράσι παῖδας εἰκέναι,
τὰ πολλά ταύτῃ γίγνεται τέκνων πέρι

iam omnis fere dubitatio sublata est. Nauckius etsi ceteroquin nimia corrigendo falsus est, recte restituit *δοκεῖ σοι*, quibus si praemittis *ἃ* (vel *ὃ*) *γάρ*, sententia manifesta est: Antigona loquitur non sine querimoniae acerbitate, Oedipi in procreandis liberis malam fortunam cum sua comparans, quibus vel ad illa vel ad similia Creontis verba respondet; sed ne tum quidem si ad illa ipsa respondet, emendatione illic opus est, cum istis non puerum ipsum tyrannus increpet, sed ad tertiam personam conversus opprobrium illud proferat, quae potuerit esse Antigona.

Hactenus ut congruunt fragmina cum vasis et Hygino, ita implicatior quaestio est de numine discrimen dante in gravissima rerum condicione. Quo munere Herculem fungi Hyginus cum vasis conspirans testatur. Quodsi illic res ita conversa est quasi frustra Hercules intercederet, prava id mythographi ratione effectum est, nimirum ut mors amantium Sophoclis potentiore arte nobilitata et Megarae conubium adnecteretur. Nam prorsus absurdum est ac ne cogitari quidem potest, machinam dissolvendae condicionis difficultati inservientem temere moveri, deum voluntate sua ab hominibus spreta frustratum e scena abire ac tantum non depelli. Haec consentanea. Graviore turba implicamur fragmento 177 quod alius dei, Bacchi, intercessionem indicare videtur.

ὦ παῖ Διώνης ὡς ἔφυς μέγας θεός,
Διόνυσε, θνητοῖς τ' οὐδαμῶς ὑπόστατος.

Certe ad dei apparitionem omnes hucusque rettulerunt. At vide ne fallaris. Nonne Thebanus aliqui data occasione — de qua mox dicam — animum pressum levans hisce verbis poterat deum patrium imprecari? Ac ne verba quidem ipsa — an fallor iudicio praeoccupato? — eum colorem prae se ferunt, ut praesens numen compellari videatur. Ut enim laudibus Bacchus effertur, ita desidero verecundiam illam et piam quandam haesitationem qua humanae personae in huiusmodi scenis excellent; praecipue illa θνητοῖς τ' οὐδαμῶς ὑπόστατος iniuria aliquis oppressus effundere poterat, at coram ipso numine haud ita placent; modo conferas cetera huius generis episodia. Magis tamen quam hac ratione utpote subtiliore commovemur ea, quod quid ad Bacchum sors Antigonae vel omnino domus Oedipodeae pertinuerit, nullo modo intelligitur. Nimirum festum nescio quod Bacchi praetendunt, nec non Phoenissas comparant, ubi sub finem Bacchica Thebanorum festa commemorantur; at quam debile argumentum. Quanto melius in hoc dramate Herculi conveniunt divinae partes, quippe cui ludi (in quibus vicerat Maeon) Thebis celebrarentur; erant Heraclea seu Iolaia, erat praeterea agon filiis sacratus ab Hercule cum Megara procreatis. Quid igitur Bacchi commemorationi faciamus? Non audacius mihi agere videor, si versus istos in eam tragoediam item Thebanam relego, quae et magna ex parte in Bacchi festo versatur et in lemmate plus uno cum Antigona commutatur, Antiopam dico. Etsi ne illic quidem Bacchus apparuisse potest, sed a Mercurio potius rem peragi constat, tamen perbene usu venire poterat, ut illo modo invocaretur Thebanum numen idque ni fallor ab Antiopa multum vexata, cum Dirce iniustissima domina et tota gens Bacchi orgia laetissima celebraret. Quid si vero deus adest, scilicet figuratus, quippe cuius simulacrum in scena vel in domo cerneretur! fr. 202:

ἔνδον δὲ θαλάμοις βουκόλον . . . . .
κομῶντα κισσῷ στῦλον εὐίου θεοῦ,

quae verba si animo bene perpenderis, non aliter quam cernendi verbo vel praemisso vel lacunae inserto accipienda esse intelleges. Id quoque sermonis conformatio postulat, ut ipse qui videt viditve loquatur. At vero iam vidit ille? quid in isto festi agrestis apparitu tam novum aut memorabile est, ut his commoretur spectatores?

Immo cum in filiorum Antiopae vico rem agi constet neque igitur, ut in regia aliqua, interiora conclavia multa unde ad nos referatur fingi possint, praesertim cum ipse cultus ille conclusas parietes vix patiatur, colligimus non sine eximia probabilitate, eum qui loquatur extrarium advenire et oculos inicere in aedificium satis agreste et inspicientibus latius patens; ita ut forte *βλέπειν δοκῶ* versum explere possis. Utique in eo loco quo festum celebrabitur stamus, et dei signum vel in conspicuo est vel, quod sufficit nobis, conspicitur ab eo qui loquitur. Id plerosque mihi concessuros esse confido. Iam igitur adest Bacchus, ad quem invocatio illa pertinet, nullis iam puto difficultatibus implicata. Quis autem sit advena ille — quae sunt locupletia de hoc dramate testimonia[22]) — nulli dubitationi obnoxium est. Antiopam vixmodo vinclis clam perruptis quam consentaneum est dei aspectu commotam in illa verba erumpere[23])! Haud absimilem in modum Maria Stuart e carcere in aeris libertatem se proiciens non daemones illa quidem, verum nubes caelestes compellat:

Frei in den Lüften ist eure Bahn,
ihr seid nicht dieser Königin unterthan. —

Quae cum ita sint, Aristophanis grammatici testimonium breviter profligare licet; respexit is tragoediam Euripideam modo quatenus cum Sophoclea comparari poterat, id quod minimam Euripideae partem attinebat sed res fabulam antecedentes, illic narratas tantummodo; res ad Maeonem pertinentes nil curabat Aristophanes. Testimonium igitur grammatici, ab Antigonae scholiasta repetitum, cum Hygino vasisque concinnare nec despero ut plurimi, nec sic instituo ut Hartungus, qui per Bacchum apparentem copulari amantes coniecit, (quod superiore ratiocinatione refutatum est), sed sic potius colligo: rex etsi disiungere amantes nequibat, vitae Antigonae usque insidias parabat. Quamobrem Haemon "Antigonem ad pastores mandavit" (Hyg.). Haec quae diserte traduntur cum parum respiceret Welckerus regem substituens tamquam exilii auctorem, totam rem perturbavit. — Ceterum si Aristophanem audimus, cui diffidere non licet, secundum Euripidem Antigonae pium erga fratrem facinus non Argiae sed Haemonis amantis ope adiutum est (vel potius esse narrabatur).

---

[22]) v. Jahn. Arch. Ztg. 1853, p. 76. 73, 27.

[23]) Sequebatur tum *Ἀντιόπης θρῆνος ἐπὶ τῶν ἀδίκως πασχόντων κτλ.* v. Jahn. p. 78, 40.

4. Paucarum inter deperditas huius poetae tragoedias interitus tam aegre fertur quam Meleagri, quae et coloribus variis et momentis gravibus idoneisque ad animos commovendos abundabat. Hanc expressit Accius, non Sophocleam, quae de Calydonis obsidione agebat, si quidem sacerdotum chorus, qui traditur, illuc melius quam ad venationem facit, atque si fragmentum 370 Sophocleum recte interpretor. Ibi sorte eligitur aliquis ad nescio quod munus principale; cuiusmodi momentum nil, quantum exputo, fabulae convenit venationis, rei communi omnium impetu perficiendae, optime autem alteri quam exhibet Apollodorus — quam Prellerus, is quidem nimis confidentur, Sophocli tribuit —, ubi ambarum gentium bellum conficitur singulari pugna Meleagri cum Thestiadibus decertantis. In hoc, ni fallor, debellandi munus sorte evocabatur seu Meleager — quod minus probabile, cum ipsi fortissimo sortem obtingere miros nos habeat —, sed potius, quod amplector, Thestiadarum unus, quem occisum deinceps frater ad ulciscendum sponte processisse putandus est. Homericae fabulae imitationem etiam sacerdotum chorus, iam in illa obvius, indicare videtur. — Accius igitur non nulla suppeditat ad restituendum Euripidem. Et docemur quidem de spoliis rixam fuisse in scena ante iudicem, scilicet regem, ubi nobilior fratrum in accusando haec proferret:

'cuius exuvias et coronam huic muneravit virgini'

unde consequitur et ipsam Atalantam adfuisse, mutam tamen personam loquente Meleagro. Iudicio autem minime cecidit Meleager, quae Ribbeckii opinio est, neque enim hic postmodo spoliis privat avunculos, quo una cum sanguinis officiis iudicium factum evertisset et omnem tragoediae odium in se congessisset — at talia non curat Ribbeckius — ; immo omnes testes consentiunt Thestiadas potius e victricis virginis manibus spolia arripuisse, quod facinus nullo iam iudice intercedente statim iuvenis ut decuit vindicavit. Quo facto Meleager vel qui ab eius paribus stat talia profatur Thestiadarum facinus perstringens:

'erat istuc virile advorsam ferre fortunam facul':

quae verba non sunt Thestiadarum, cum ante iudicem stantes de adversa Meleagri fortuna loqui non possent, quoniam non tam vicisse amicam illius quam tantum praemium mulieri deberi negabant.

Ergo mater importuna accepto caedis nuntio ad cruentum consilium aggreditur. At re vixmodo perpetrata angore et poenitentia

obruitur atque irritum reddere facinus toto animo studet. Hanc animi summam perturbationem ut ostenderet satisque uteretur momento summa poesi digno, poeta prudenter non ipsam fecit e scena egredientem, festinantem. sed servo usus est, quem summopere domina instigat; hac tantummodo rerum condicione explicari posse rabidam istam festinationem, quae in fr. XIII et XIV iubetur, recte vidit Ribbeckius. Sed locus ille ubi cremavit mater fatale lignum, quem longius abesse a scena et domestica ara oportebat, qui fuit? Num forte in fratrum recentem rogum coniecerat illud irata? Ovidium (Met. VIII 480) si audimus, illa fratrum "ante sepulchrales infelix adstitit aras", et profecto ut intra tragoediae (fortasse etiam unius cantici) fines sepulchrum exstruatur, Euripides, quem quidem Polyidus arguit, minime abhorruerit. Tragoediae ratio postulat ut mutatum Althaeae consilium, quo ardorem subito exstinguendum curat, frustretur, ut iam decramaverit ille. Meleagrum igitur absentem a scena defungi necesse est. Quamquam num forte, ut in vasculo Armentano pictum est, commoriens in scenam asportetur pauca etiamtum ut Hippolytus, Eurystheus, Erechtheus, Hercules Sophocleus verba facturus, quaerere possis. Sed exiguum vitae scintilla in scena demum exspiranda in eo poterat relinqui, qui armis vel igni vel equis ita percussus etiamque dilaniatus esset, ut manifesti obitus nuntius iam ante quam ille novissimum exspirasset, domum reportari posset; at non idem licebat, ubi nullum vulnus instantem iuvenis mortem sociis indicabat, ita ut ne cogitare quidem possent de moriendo, prius quam extremum suspirium omnem sustulisset dubitationem; an ex ventre, ex capite, nescio unde, Meleagrum graviter laborare in scenam tragicam referebatur? Vide igitur quam recte Apollodorus dicat: *ἐξαίφνης ἀπέθανεν,* quod ne pedestri et exili narratori tribuas, Euripidis specta fragmentum 961, cui inter illius dramata aegre loco ullum habueris aptiorem:

ὁ δ' ἄρτι θάλλων σάρκα διοπετὴς ὅπως
ἀστὴρ ἀπέσβη, πνεῦμ' ἀφεὶς εἰς αἰθέρα,

in quibus praeclare poeta *ἀπέσβη* dicentem facit nuntium, inscium quam prope ipsam mirifici leti causam attingat.

Iam obiter vasis illius Armentani picturam tetigi, scenico quodam colore insignem, quamvis non singulum certumve dramatis momentum exprimentem; quam artificum libertatem satis cognitam et assuetam habemus. Tendo ad rem longe difficiliorem.

Adest enim Venus cum Amore, cuius a sinistra parte supra aedificii angulum legitur φϑόνος, res profecto obscurissima. Kekuléius[24]) qui primus totam hanc imaginem ad Meleagri fabulam recte revocavit, nomen illud Amori vindicare haud dubitavit. Quod ut comprobarem ullo modo, impetrare non potui. Primum enim opinio illa, qua τὸ ϑεῖον πᾶν φϑονερὸν putabatur, ad universam numinis notionem spectat, quae notio ubi dicersa numina creduntur pinguntur que, longe abest; (nam singulos deos offensos placandos esse ea opinio, quam religiones secum ferunt, non ad φϑόνον pertinet, non ad inopinatam et inexploratam fortunae labem). Quodsi in hac pictura unum tantummodo numen vel par deorum inter se cohaerentium adest, casu aliquo (mox explicando) id evenit, quo eo minus abutaris. quod si in sinistra parte spatium reliquum fuisset, illic quoque quin unum alterumve numen, velut venatoria dea, vix defuisset, non dubitaris. Porro si invitis diis amat Meleager, adversam eorum voluntatem indicare nemini minus conveniret quam Veneri filioque: licet omnes adversentur, Venus et Amor in iis non erunt. Immo cum certae deorum regiones sint, in quas dominatur quisque, quasque laedi aegre patitur, amores infelices, hominum rerumve invidia oppressi, ab Amore et matre fere tam moleste feruntur quam ab ipsis qui laeduntur mortalibus. Quare Sapphus amor, utpote infelix, personatus ipse τάλας vocatur in vasculo quodam picto; item in Actaeonis interitu Venus et filius —, maesti spectatores, ut ait Kekuléius — adsunt. Utor his exemplis a Kekuléio comparatis quia contrarium atque voluit auctor iis evincitur. Adde iis ipsum de quo agimus vasculum, ubi Venus maerentis, Amor haesitantis vultum prae se fert. Nihil igitur probant Ovidii verba, Meleagrum Atalantam adamasse et optasse 'renuente deo' (Met. VIII 325), cuiusmodi sermonis multa ni fallor in poetis Romanis obvia fiunt exempla. An sicut Met. III 406 'adsensit precibus Rhamnusia iustis', nonne in alia optatione fere dicere poterat 'renuit Rhamnusia virgo' vel ut hoc loco 'optavit renuente deo'? Deus iste qui renuit non certus ullus est, sed commune mundi numen, ὁ ϑεός, Fatum, quod quidem saepe propria persona induitur. Nempe Fatum, antiquiore Graecorum opinione Iove ipso potentius, vel μοῖρα vel Nemesis vel Parca dicitur, (velut in monu-

[24]) Arch. Ztg. 1872, 116. Strenna festosa offerta a G. Henzen Roma 1867.

mentis Etruscis[25]) Parca cernitur Meleagri amorem clavo pacto evertens) et in vascularia arte, quae quidem tragoediam sapit, Furiae aliusve daemonis figura significatur, quo pertinent *Ἄτη, Ἀπάτη, Οἶστρος Λύσσα.* Item cum deorum quisque suo tantum nomine vel naturae suae conveniente cultui vel carminibus desumpto (ut Nereus *ἅλιος γέρων*, Vulcanus *Δαίδαλος*, Argos *Πανόπτης*, Pandora *Ἀνησιδώρα*[26]) insignitur, tum Amori unice *Ἔρως, Πόθος, Ἵμερος* inscribi potest, non *Φθόνος* nomen adeo a natura illius abhorrens. Atque si nunc Amori, nonne alias alii malorum invito auctori *Φθόνος* inscribi poterit, velut in Hippolyto Dianae potius quam Veneri! Vides quantopere accepto isto nomine cum rerum veritate collidamus. Quae cum ita sint, pictor aut tam inepte egit, ut diligentiore interpretatione indignus esset neque quid cogitavisset homuncio quaeri oporteret, aut — quod longe probabilius — erravit aliquo modo in describendis exempli sui nominibus, ita quidem, ut eam quo pertinebat nomen figuram omitteret. Cui suspicioni magnopere favet vasculum Rubis repertum ab Heydemanno (apud Koerte. Person. d. Affect. auf Vasenb. p. 56) descriptum, ubi cum Meleager advolante (matris nutu) Amore spolia viragini tradit, adest a dextra parte iuxta Venerem daemon feminei ut fit speciei, alatus, facem et gladium gerens. Qui ex eo genere est, quod sexcenties in vasculis iunioris aetatis appingitur ad indicandam fatalem rei repraesentatae naturam vel eventum; cuiusmodi figurae quarum supra nomina attuli nonnulla, quo minus deficiente inscriptione nuncupari certo nomine possunt, eo magis inter tot Fati nomina *Φθόνον* quoque adhibere licuit; ita ut huic figurae, utcunque eam dici pictor voluit, responderit in nostra pictura daemon nunc errore omissus. Vereor ne existant, qui in Rubiano vasculo quasi coniunctum esse cum Venere daemonem fatalem et ab Amore Meleagreo quasi secum trahi contendant. Sed relabimur, unde vix emersimus. Nego causis expositis, nego potuisse ab ullo Graeco Amori et praecipue in tali rerum condicione non *Ἔρως*, vel *Ἵμερος* vel *Πόθος* sed *Φθόνος* inscribi; neque quae figurae deficiente spatio iuxta

---

[26]) in speculo notissimo et in cista Praenestina a Kekuléio edita Arch. Ztg. 1862 tab. 164. 165, ubi daemon ille falso pro Victoria habetur.

[26]) Cetera quae affert exempla Jahn. Vasen-Sammlung p. CXVI sq. aut certissime falsa sunt, ut ΔΙΟΣΦΟΣ (quod ad ΔΙΟΝΥΣΟΣ redit aut gravissimis dubitutionibus obnoxia.

positae sunt, eas cohaerere oportet, immo sufficit invidiosam fatorum potestatem significari persona peculiari et non modo diversa ab Amore sed etiam ad eius opus destruendum parata. At obverteris interiecta *Φθόνου* illius figura nimis premi hanc imaginis partem; observatio iusta et ad rectam viam demonstrandam idonea. Etenim oculis se obtrudit mira picturae dispositio a ceteris huiusce generis vasis satis diversa. In quibus cum aedicula in medio posita et infra et ab utraque parte figuris circumdari soleat, quem morem etiam nostri vasculi aversum latus servat, in hac pictura, (cuius rei alia exempla aegre inveneris) ita laeditur ista aequabilitas, ut in sinistra aedificii parte desint omnes figurae, scilicet quod spatium deficiebat. Haecce enim aedicula non, ut ceterae huius generis, simplex est duabus (a fronte) columellis nixa, sed in laevam partem ita producta est, ut multo plus solito contineat, scilicet tres columnas et lectum et figuras quattuor. Coepit pingere opifex, ut consentaneum, in summa rei, in Meleagro a germanis sustentato, quem aedificio inclusurus erat accurate in medio posito; sed mox mutavit consilium, cum aediculam a dextra parte coeptam (quod etiam columna in pede ceteris longior ostendit) ne lectulo quidem suffecturam praevideret. Deficiente iam spatio omisit figuras partis sinistrae, ubi quidem, ne de Diana dicam, Atalanta vix defuerit. Deinde ad nomina appingenda accessit, quo in negotio non nimia diligentia versatus esse videtur, cum Meleagrum (ob loci angustiam) item Althaeam [27]) nominibus carere pateretur. Quodsi Veneris puerolus qui, praecipue ubi cum matre coniunctus est, prorsus caret nonnusquam inscriptione, gravissimo nomine et nequaquam conveniente praecellet, de errore — cuiusmodi innumeros praebent vascula — cogitare in propatulo est, sive in exemplo, fortasse huice vasis formae non destinato, daemon ille hanc partem (ut in altero vasculo) sive contrariam tenuit, ita ut vel *ΦΘΟΝΟΣ* et *ΠΟΘΟΣ* inscriptiones vel alatae duae figurae inter se commutarentur. — Compara autem sarcophagorum ectypa huc spectantia quae cum hac pictura similia quaedam habere breviter iam Kekuléius indicavit. In quibus ubi Althaea repraesentatur titionem fatalem in ara reponens, Furia addita est ad facinus illam instigans, praeter quam Parcae adsunt in nonnullis ectypis [27a]). Et Parcis quidem nihil moramur,

---

[27]) hanc egregie agnovit Kekulé.

[27a]) Althaea cum Furia e. gr. in sarc. Barberinio Mon. d. J. IX 2, 1, in Borghesiano Clarac II 201, 208, atque praesentibus Parcis in Albanio Zoega bassiril. 46. p. 217, in Capitolino Fogg. C. M. IV 35. Millin gal. 104, 415, nec non in aliis quibusdam.

quippe quas ipsa fabula praeberet. Furiam potius respicias. Sarcophagos autem Graecoromanos et ab Etrusca barbarie vacuos minime abundare vides huiusmodi daemonibus, quos adhibent vasa iuniora, quibusque abutuntur Etrusci. Immo excepto illo, quo Pentheus a Bacchis direptus depingitur, vix Furiam mihi obviam fuisse memini [28]). Quam in fabulam, etsi de Baccharum furore per se constat, memorabile est ab Aeschylo inductam esse *Λύσσαν* personatam. Simile quoddam in Meleagrea fabula evenit. In qua *Ἐρινύς* sive antiquitus partes suas habuit, sive fortuito ab Homero inducta est uno hoc loco, certe Euripides exemplum Iliadis usurpasse probabile fit, si Furiam alicubi inductam ab illo ostendero. Nam, ut Herculem furoris daemone (*Λύσσᾳ*) exagitatum mittam, dramata illius accurate perlustrans nullum, ubi *Ἐρινύς* locum habuerit aptum, invenies excepto uno Meleagro. Namque ad Vergilii de Furia verba Aen. VII, 335:

> tu potes unanimos armare in proelia fratres
> atque odiis versare domos, tu verbera tectis
> funereasque inferre faces, tibi nomina mille

Servius haec adnotat: — secundum Euripidem, in cuius tragoedia dicit Furia se non esse unius potestatis, sed se foctunam, se Nemesin, se fatum, se esse necessitatem" (fr. 1011 Nauck.). Vocabatur igitur *Τύχη, Νέμεσις, Μοῖρα, Ἀνάγκη* [29]). Et Vergilius, qui quidem triginta versibus ante Calydoniam fabulam pluries attingit, num vere Euripidem respexerit, non diiudico. Furiam autem a Servio notatam in nostrae tragoediae scenam prodiisse (scilicet priusquam Althaea prodiret vel parata ad facinus vel iam referens perpetratum) id iure meo colligo. — Iam quae necessitudo inter sarcophagorum Euripidisque Furiam et daemonem illum intercedit in vasis semel pictum, semel ut suspicor omissum? Possit ille fortuito appictus esse, quamquam ne illi quidem daemones in Medeae vasculo Canusino (cf. Eur. Med. 987), in Pelopis vasculis (cf. Eur. Or. 1547), sine quadam tragoediae auctoritate picti esse videntur. Sin Euripidea *Ἐρινύς* respicitur, quaestio inde non difficilior fit, quod *φθόνος* masculi generis est. Mirum enim quoddam accidit

---

[28]) Jahn. Pentheus und die Mänaden Tab. III, a. Nimirum non de Aegisti et Iphigeniae Tauricae sarcophagis loquor, ubi non una Furia est sed plures illae quas diserte et copiose induxerat tragoedia.

[29]) *Ἀνάγκη* duobus in vasculis picta videtur, si quidem recte leguntur explenturve inscriptiones Mon. d. J. VIII, 9 (cf. Koerte Pers. d. Aff. p. 79) Benndorf Vasenb. Tab. 36, 9.

in fatalibus istis daemonibus, quos (consuetudine late patente) nullo sexu praeditos pingebant, quasi generis praestantiarum vitiorumque immunes, nullis naturae legibus obnoxios, nullis vel corporis vel animi vinculis humanae divinaeque genti cognatos. Velut *Οἶστρος* in vase Canusino, item Mors in columna Ephesia primo aspectu pro muliere haberi possit, daemon Aiacis suicidium adiuvans, Aeschylo (fr. 78) muliebris, in pictura[30]) genus mutavit, Lyssa in novissimo Actaeonis vasculo (Mon. d. I. XI, 42) fere virili facie insignis omni corporis feminei forma caret. *Φθόνος* autem, etsi in hac una pictura legitur, ex eodem genere est; et potuit inter tot Fati potestates a poeta notatas si non diserte numerari Invidia, tamen effici species, quasi esset numerata; (et Asteas quidem Herculis daemonem non *Λύσσα*, ut poeta, sed *Μανία* nuncapavit); cuiusmodi opiniones ex poesi derivatae potius quam desumptae quantum valeant in arte populari, constat. Quo pertinet e. gr. daemon in Pelopis domo regnans, nunc alastor (Or. 1547) nunc *φθόνος* (ib. 974) vocatus, qui in Pelopis vasculis pingitur, etsi in scenam eum apparuisse non compertum habemus. Hic tamen sarcophagorum, speculi, cistae, vasorum inter se diversissimorum consensu, Servii denique vix dubio testimonio daemonem fatalem in scenam prodiisse probatur.

---

30) Arch. Ztg. 1871 Tab. 46.

SCRIPTOR DE VITA SUA.

Maximilianus Mayer natus sum Primislaviae, in oppido Marchiae, die XXX. mensis Augusti a. h. s. LVI, patre Iosua, matre Eva e gente Wolfiana, Brandenburgensi, quam superstitem veneror. Fidei addictus sum mosaicae. Litterarum elementis imbutum parentes me utpote tunc corpore infirmiorem diutius a scholis retinebant, dum Kürteni Berolinensis ludo, deinde (autumno anni LXVIII) Leucophaeo mandatus sum, quod eo tempore Bonitzii auspiciis florebat. Et cum statuariae maxime arti studerem, cuius primitias etiamtunc gymnasii discipulus in Koenigii, professoris nunc Darmstadtensis, officina gustavi, tamen vere anni LXXVII accepto maturitatis testimonio architecturae potius studium matre praecipue instigante ingressus sum. At iam tum Adlero maxime antiquam architecturam explicanti operam dabam et lectionibus quae in litterarum universitate habebantur archaeologicis intereram; atque inde ab anno LXXVIII exeunte omnino me philologicae disciplinae dedi. Insequenti anno Bonnas me contuli, ubi quamquam per unum semestre morari licebat matris morbo intercedente, incredibile quantum incitamenti et frugis breve illud tempus secum tulerit. Berolinum reversus ad seminarium philologicum aditum petii, cuius sodalis ordinarius per bis sex menses fui (LXXX—LXXXI). Deinde plus quam anni spatium in materia quadam perscrutanda hucusque neglecta at archaeologorum studia valde exigente versatus sum, cuius operae fruges ut mox publici iuris fient, ita ad summos in philosophia honores capessendos ipsam ob copiam huius negotii fines excedentem minus aptae esse videbantur. — Docuerunt me Bernays, Bücheler, Kekulé, Leo, de Mosengeil, Usener, Wilmanns Bonnenses, Curtius, Droysen, Hübner, Kirchhoff, Müllenhoff, Paulsen, Robert, Scherer, de Treitschke, Vahlen, Zeller Berolinenses. Omnibus his viris, maxime Vahleno et Kirchhoffio, quorum philologicis et epigraphicis, Curtio, Kekuléio, Roberto, quorum archaeologicis interfui exercitationibus, gratias ago quas debeo. In primis Robertus, qui multimodis studia mea auxit fovitque benigne, animum meum sibi devinxit.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

1. Aristoph. Thesm. 414. 415. 421—428 (sicut 416 sq. cf. Hartung. Eur. rest. I. 87) ad Euripidis Danaam spectant.
2.
3. Eur. Suppl. 509, ubi non recedendum a vulgata interpunctione, lege νέος τε ναύτης (vulgo νεώς).
4. Eur. Phoen. 480, ubi falso traditur ἃ γίγνεται, scribo ἃ νῦν κυρεῖ.
5. Apollodori III 6, 8, 4 verba πρὶν ὑπὸ Περικλυμένου τὰ νῶτα τρωθῆναι ex poeta aliquo fluxerunt et ex Pindaro quidem (N. IX 26 [61]).
6. Ovidii A. A. II 21—96 posterius scripta sunt quam Met. VIII 183—235.
7. In loco de Hermiona olim locupletissimo nunc mutilissimo qui est schol. Eur. Androm. 32 (cf. Wilamowitz. Rhes. scholl. p. 4), ubi haec leguntur ὕστερον δὲ Διομήδει συνοικῆσαι ..... ΤΙ. φησὶ δὲ καὶ Ἀσκληπιάδης κτλ., Ibyci nomen latere videtur (cf. fr. 38 Bergk.[4]), ita ut fere κατὰ ⟨τὸν⟩ ἼΒΥΚ. locus explendus sit.
8. Cratinus Dionysalexandro Aeschyli Lycurgiam (Edonos) irrisit.
9. Theocr. XVIII, 21 ματέρι prius quam ad Ledam referas, ad emendationem confugias; at bene locus se habet et ad ipsam Helenam ita spectat ut vulgaris de liberis patrum similibus sermo (e. gr. XVII, 44. Hesiod. opp. 235) eleganter varietur.
10. Gigantum pedes anguinei (primum commemorati a Naevio Tarentino) originem ducunt a Typhone, qui illa forma praeditus iam in sexti saeculi arte occurrit.